




Crus 370.1
HARVARD UNIVERSITY LIBRARY
VE RI TAS
FROM THE LIBRARY OF
COUNT PAUL RIANT
MEMBER OF THE
INSTITUTE OF FRANCE
HISTORIAN OF THE
LATIN EAST
MDCCCC
GIFT OF J. RANDOLPH COOLIDGE
AND ARCHIBALD CARY COOLIDGE

Historia

de

Expeditione Friderici Imperatoris

edita

a quodam Austriensi Clerico, qui eidem interfuit, nomine Ansbertus.

Nunc primum e Gerlaci Chronico, cujus ea partem constituit, typis expressa, curante

Josepho Dobrowsky.

Pragae, 1827.
Apud Cajetanum de Mayregg bibliopolam.

Praefatio.

§. 1. Codex manuscriptus partim seculo XII, partim initio XIIImi seculi in membranis exaratus, ex quo historiam expeditionis Friderici I. typis imprimendam curavi, diu desideratus ac frustra quaesitus, tandem anno 1824 a Josepho Dietrichio, capellano Postelbergensi, nunc Lipsiae scholae catholicae directore, feliciter detectus fuit. Ab eo per literas edoctus de iis, quae Codex complectitur, mox cognovi eundem omnino esse, quem Berghauerus inter libros bibliothecae ecclesiae Metropolitanae ante annum 1756 invenit, quemque Dobnerus, cum Vincentii atque Chronographi Siloensis editionem ex apographo quodam, non satis diligenter descripto, pararet, ante annum 1764 frustra quaesivit. Jam enim in manibus cujusdam Domini Kneysl versabatur, Joh. Augustini Kneysl opinor, qui dum dissertationem de Retractu publicae disputationi an. 1754 submitteret, Francisci Chronicon edidit. Eo mortuo a Judaeis

emtus et chirurgo cuidam in vicinia Postelbergae venditus fuit, qui membranas Codicis in usus varios convertere cepit. Monui Dietrichium per literas, daret operam, ut quovis pretio oblato pretiosum hocce cimelium e manibus hominis, qui iam pluribus membranis abusus erat, eriperetur. Praestitit ille, quae optaveram, codicemque jam jam pessumdandum redemit, mihique tandem transmisit.

§. 2. Primus Codicis nostri seculo elapso mentionem fecit Joh. Thomas Berghauer, qui in Protomartyris Poenitentiae parte prima, Carolo VI. an. 1735 dedicata, Augustae Vindelicorum 1737 impressa, in catalogo Manuscriptorum operi praefixo hisce eum verbis indicavit: „Vincentius canonicus Pragensis et Vladislai Regis notarius, quem ego primus in lucem vindico, scribit gesta Vladislai ad Mediolanum ab an. 1140 usque ad an. 1197." Vincentius quidem jam anno 1167 Chronicum suum finivit; reliqua autem, quae sequuntur usque ad an. 1198 Chronographus Siloensis Jar. (Jarlochus seu Gerlaeus) continuavit. Non alium, sed prorsus eundem codicem, quem redemtum possideo, a Berghauero indicatum fuisse, clarissime patet e verbis, quae pugno suo in membrana cooperculo ligneo agglutinata adscripserat: Relegi totum codicem hunc 1738 J. Th. Berghauer.

Contenta codicis pluribus consignavit Bonaventura Piter in apographo suo, quod in monasterio Rayhradensi in Moravia, cui ab an. 1756 ad annum 1764 cum laude praeerat, cum aliis ab eo collectis monumentis historicis, quorum editionem paraverat, adservatur. Utinam Dobnero licuisset, Piteri transumtum cum vitioso illo, ex quo Tom. I. Monum. hist. Vincentii et Chronographi Siloensis editionem adornaverat, conferre; potuisset sane librarii errores non paucos emendare, textumque truncatum integritati suae restituere.

§. 3. Cum e literis b. Joannis Cerroni, assidui rerum historicarum collectoris, an. 1825 Bruna ad me datis intelligerem, Piterum integrum codicem, adeoque et historiam expeditionis Friderici I., qua transumtum Dobnero exhibitum caruit, diligenter descripsisse, mox illi ea loca, quae nunc in codice nostro ob excisa folia desiderantur, indicare studui, rogavique, ut ea e Piteri apographo Rayhradensi describenda curaret. Obtinui tandem, favente Reverendissimo abbate, e laudato apographo per Reverendum D. Victorem Schlossar, archivarium et bibliothecarium, accurate descripta omnia, quae in nostro codice nunc desunt. Istorum ope licuit jam integre restituere Ansberti historiam.

§. 4. Codex noster membraneus, in bibliotheca Capituli olim signatus litera G. XXVII. duos diversi generis historicos libros, una compactura conjunctos, complectitur, quorum prior majoris molis Venerabilis Bedae historiam ecclesiasticam Brittanorum et maxime Anglorum, alter Vincentii ejusque continuatoris Gerlaci Chronica Boemorum continet. Vincentii Chronicon, in XIV (nunc ob defectum trium in XI.) foliis, quorum singula plerumque XLII lineis constant, exaratum, an. 1140 inchoatur hisce dedicationis verbis: Waladizlao gloriosissimo et serenissimo Regi Boemorum inclito et semper victori, Vincentius licet indignus, Dei tamen gratia et sua sanctae Pragensis ecclesiae canonicus et notarius, cum oratione et servitio per longa tempora triumphare feliciter etc. Finitur autem an. 1167 verbis: „cui dominum Hugonem capellanum suum virum honestum. Deest Require." Sequitur jam immediate Continuatoris formula: Hucusque Vincentius Pragensis ecclesiae canonicus historiam suam deducit, videlicet ab anno Dom. Inc. MCXL usque ad annum MCLXVII. Chronicon continuatum per XIV (nunc VII) folia, inchoatur hoc verborum tenore: „Eodem anno (1167) et eadem expeditione intrante Augusto, cum esset aestus intolerabilis, nebulosa et pestilens aura, multi de Primoribus regni obierunt, inter quos Re-

noldus Coloniensis Archiepiscopus, Daniel Pragensis Episcopus ibidem mortui sunt." Hic signo ad vocem Daniel apposito in margine leguntur: „Fridericus etiam filius Cunradi regis et Theobaldus frater W. regis et multi alii ibi mortui sunt. Qui Theobaldus moriens reliquit post se magnae indolis puerum nomine Theobaldum, patrem istorum, qui nunc sunt Dipoltici, quem nos in parte sua postea vidimus principantem." Haec manu Gerlaci in margine adjecta, quae apud Dobnerum non comparent, Piterus textui inserenda censuit. Finitur vero pars Chronici prior, quam a Professo Siloense ordinis Praemonstratensis scriptam fuisse, ex indiciis ubique obviis satis manifestum est, hisce verbis: „Eodem anno (1186) fuit ecclipsis solis et sabbato IIII temporum in Pentecoste promotus sum in sacerdotem annos natus XXI. ego Jar. qui post Vincentium haec scripsi." Pars altera, cujus marginales notas et ab anno 1193 continuationem Gerlaco jam tribuit Piterus, historiam expeditionis Friderici auctore Ansberto clerico continet. Abrumpitur vero continuatio Gerlaci an. 1198 ob defectum ternionis ultimi dudum amissi his lineae postremae verbis: „simul et ducem nostrum consecratum creat Regem Bo," Ante historiam expeditionis Friderici I. in eodem codice hoedino Bibl. Metrop. Prag. litera G. XXVII signato legi quaedam, monuit Pi-

terus in apographo suo, quae nunc propter excisa folia amplius non comparent, et quidem sequentia: Liber de Mileusk, Abbatis de Mileusk. Porro haec: „Gesta istorum annorum diligenter sunt annotata in IIII quaternionibus, quae secuntur pariter cum profectione Friderici Imperatoris. Require et invenies. Anno D. J. M. C. LXXXVII. usque anno D. J. M. C. XCVII". Est autem nonnisi tertius quaternio (8 foliorum), primus, secundus et quartus sunt terniones (6 foliorum). Ex his 26 foliis nunc duntaxat novemdecim supersunt. Pertinuisse librum olim Monasterio Milovicensi e notula: Liber de Mileusk, quae et nunc in membrana cooperculi conspicitur, omnino certum redditur.

§. 5. Notam marginalem ad an. 1187, et alias eadem manu perscriptas, uti et Continuationem Chronici Boemiae ab an. 1195 usque ad finem, tribuendas esse Gerlaco Milovicensi primo Abbati, rectissime sensit Piterus. Sed et ipse Dobnerus, qui truncato transumto usus est, in observationibus praeviis monuit, nec aetatem, nec historiae contextum repugnare, ut universum Chronicon ab anno 1167 soli B. Gerlaco vindicari possit. Per G. in nota marginali (vide p 5 n. 2) Gerlacum, ab an. 1187 Abbatem Milovicensis Monasterii, indigitari, nemo

est, qui dubitet. Cum vero Gerlacus in ore vulgi boemici sonet Jarloch, pronum est conjicere, per Jar, qui post Vincentium se haec scripsisse ad an. 1186 affirmavit, non Jaroslaum nescio quem, verum Jarlochum i. e. Gerlacum significari. Id vero et rationibus e Chronico ipso petitis evinci potest. Ad annum enim 1189 Friderico Conradum ducem successisse narrat Gerlacus additque: de quo supra diximus. Qua formula se revocat ad superius ad an. 1185 ab eo narrata. Idem ergo fuit Jar. seu Chronographus Siloensis cum auctore eorum, quae ab anno 1187 de Boemorum gestis narrantur, id est, cum Gerlaco nunc Milovicensi Abbate. Cum an. 1182 quaedam de Henrico episcopo sacerdos Jar. praeoccupasset, hoc monito ibi narrata concludit: „Reliqua sermonum Episcopi pauca quidem de multis et quomodo postea Ducatum assumsit cum Episcopatu, ecce haec annotata sunt ultimo vitae suae anno. Verum haec omnia per anticipationem dicta locum suum desiderant". Leguntur nimirum haec apud Gerlacum an. 1197, quo Henricus obiit, immo jam anno 1193 horum aliqua.

§. 6. Omnia igitur, quae Dobnerus adhuc haesitans in observationibus suis praeviis de Chronographi Siloensis aetate, vitaeque ad-

junctis ex ipsius Chronico notavit, Gerlaco conveniunt. Georgium de Mileusk nostrum an. 1185 appellavit Jar. seu Siloensis, eundem etiam nostrum vocat an. 1198 Gerlacus. An. 1186 narrat Jar. ceu rem insolitam, se annos natum XXI promotum fuisse in sacerdotem, igitur calculo ducto natus censeri debet an. 1165. Septem ferme annis se puerum (clericum minorem) apud Gotschalcum, primum Siloensem Abbatem, ante obitum ejus fuisse, quem more capellani secutus sit, cum quo sextam an. 1183 cantaverit, in Chronico narrat. Obiit autem Gotschalcus an. 1184 XII Kal. Martii. Igitur circa an. 1177 Siloensi monasterio adscriptus fuit Jar. ceu puer XII annorum. Abbatem Gotschalcum comitatus fuit, qua capellanus ejus, an. 1182 Pragam ad electionem Henrici episcopi, an. 1183 ad conventum Kunicensem, Bernecensem et Jarossensem; moribundo Abbati an. 1184 Lunevicii servitia praestitit, ab eoque benedici meruit, ejusque funus Siloam deduxit. Eodem anno post sepulturam Gotschalci, cui Henricus episcopus interfuit, et post electionem et consecrationem Ottonis in Abbatem in die Mathiae apostoli, idem episcopus ordines celebravit in Siloensi ecclesia. De suscepto hac occasione diaconatu ipsum Jar. audiamus. „In quibus, ait, et ego promotus in Diaconum legi evangelium coram Episco-

po, notus existens et carus eidem Episcopo tunc et deinceps, quamdiu vixit." Praecipuo favore Henrici Episcopi factum fuisse crediderim, quod post duos annos, ante aetatem pro presbyteratu alias requisitam, vicesimo nimirum primo anno aetatis sacerdos ordinatus fuerit. Id petente et urgente Comite Georgio de Milewsk, cujus fortasse cognatus Gerlacus fuerit, ac eo consilio factum mihi videtur, ut mox anno sequenti (1187) monasterio Milovicensi recens fundato Abbas praelici posset. Notavit ipse Gerlacus annum in margine, quo Abbas regendum locum istum susceperit. „Anno quo haec facta sunt, h. e. dominicae incarnationis M. C. LXXXVII ego G. suscepi locum istum regendum et nomen Abbatis, in quo usque hodie laboro inter multa adversa et fero nulla prospera, misericordiam Dei exspectans." Haec marginalis nota si in Dobneri transumto lecta fuisset, profecto ille initia Milovicensis monasterii certiora statuisset. Confer tamen dubia, quae p. 120 nota l) contra Balbini, an. 1200 initia coenobii hujus statuentis, chronologiam movit. Anno 1197 Gerlacus Abbas cum Georgio Comite deduxit Petrum cardinalem Pragam. Eodem anno cum aliis ad electionem Danielis Episcopi vocatis Abbatibus Pragae aderat.

§. 7. Quousque Chronicon suum produxerit Gerlacus, certo definiri non potest, cum

ternio aut quaternio ultimus irreparabili damno dudum amissus sit. Attamen eum adhuc annis 1202, 1208, 1214 conscribendo Chronico occupatum fuisse, e memoriis in opere ejus consignatis elici potest. Cum an. 1197 narrasset Danielis electionem ab Arnoldo canonico Pragensi, Praeposito Saccensi, impugnatam fuisse, subdit Gerlacus, quassationem hanc durasse fere per quinquennium. Si anno 1197 addas V, cognosces, haec non nisi an. 1202 scribi potuisse. Iterum an. 1198 refert, contentionem inter Regem Philippum et Ottonem fere undecim annis durasse, subjungitque: „donec mors Philippi litem diremit, de cujus morte loco suo plenius dicemus." Obiit autem Philippus an. 1208. Unde liquet, uti recte Dobnerus ad hunc locum monuit, ad ea usque tempora et procul dubio longinquius B. Gerlaci Chronicon procurrisse. Ad an. 1197 etiam obitus Danielis Episcopi praeoccupando meminit, annosque ab electione ipsius usque ad diem mortis, nimirum sedecim et dimidium, computavit. Unde consequitur Danielem anno demum 1214 obiisse, et hoc anno aut serius Gerlacum ista notasse. Ultra annum 1222 vix quidem Gerlacus in continuando chronico progressus videtur. Nam his, quae de concordia inter fratres Przemyslaum Ducem Boemiae et Wladislaum Marchionem Moraviae ad an. 1197 retulit, subjun-

git formulam: „quod usque hodie inter eos illibatum manet," qua post Wladislai mortem uti haud poterat.

§. 8. Anno adhuc 1221 Gerlacum superstitem fuisse, e diplomate Ottocari Regis, ecclesiae Pragensi VI. Kal. Julii hujus anni dato, manifestum est. Legitur enim in eo, Pontano in Boh. pia teste, post abbatem Strahoviensem subscriptus tanquam testis Gerlacus Abbas de Milewsk. Mortuum eum an. 1228 ac XXVIII annis Abbatiae praefuisse Hajekus scripsit. Non cohaerent XXVIII anni regiminis cum anno 1187, quo id auspicatus est Gerlacus. Igitur in alterutro cubare mendum patet. Si enim recte annum mortis 1228 consignavit Hajekus, quod ei concedi possit, certe in numerandis regiminis annis fallitur. Nam computando annos a primo regiminis (1187) Gerlacum annis XLI, non XXVIII, Abbatiae praefuisse certum est.

§. 9. Si quis in posterum codice hoc, e quo Friderici cruciatam ab Ansberto scriptam, nuspiam editam, imprimi curavimus, ad emendandum Vincentii, et Chronographi Siloensis Chronicon, quod Gerlaco auctori tribuendum ostendimus, uti voluerit, sciat illum, utpote librum de Mileusk hodiernis possessori-

bus bonorum monasterii Milovicensis, cui Gerlacus Abbas praefuit, a me donatum aut potius restitutum, et nunc bibliothecae Strahoviensis coenobii Canonicorum regularium ordinis Praemonstratensis inscriptum esse.

Pragae, 23. Aprilis 1827.

Jos. Dobrowsky.

Recogitanti mihi desolationem et miserandam [1]) captivitatem, qua terra domini et civitas regis regum omnium, quae prius domina gentium et princeps provinciarum exstitit, nunc in servitutem barbaricae foeditatis redacta est, omni Christiano lugendum dignum judico. Cum enim Christianae religionis cultum ibi deperiisse considero, ubi nostrae salutis origo et fidei catholicae sumsit exordium; cum etiam eorum laudanda certamina et facta memoriae digna, qui pro domo Domini murum se opposuerunt, recolo, cum propheta, et cum eo, in quo totius prophetiae veritas explicita est, flere compellor. Ipsa etenim veritas et propheta veritatis varias deplangentes ejusdem civitatis ruinas ad luctum nos provocant, cum utique hujus nostri temporis planctus causa, omnem priorem superet planctus molestiam; secundum humanae siquidem exinanitionis dispensationem cum legimus flevisse Jesum ejusdem jam saepe dictae civitatis ruinas, et sibi compassum esse, speramus, quod et in hujus suae indignationis ira, quam nostris meritis indubitanter nos contra nos provocasse certum est, propitiaturum no-

[1]) In margine: Ystoria de expeditione Friderici etc. Vide libri titulum.

bis, et pia compassione subventurum confidimus. Ipse enim, qui abjecit, miserebitur, et qui percussit, sanabit; ita videlicet, ut nobis super-viventibus terrestris Jerusalem restituatur et morientibus pro ejusdem terrae recuperatione aeternae pacis visio in illa coelesti patria, cujus cives se esse, per triumphum gloriosi certaminis comprobant, inhabitanda concedatur. Nos itaque inter ceteras et post ceteras, quas saepius passa est, graves desolationes, illam qua anno MCLXXXVII sub gloriosissimo Imperatore Friderico Romanorum augusto a Saladino babylonico grassari coepit ecclesia transmarina, quantum ex veridica relatione eorum, qui huic captivitati interfuerunt, percipere potui, narrare proposui, non historiam, sed lacrimabilem tragoediam persequi cupientes. Epistolam etiam, quam transmarini cismarinis de hoc ipso lugubri casu scripserunt, in capite hujus operis ponere dignum judicavi.

Notum facimus vobis domino Archumbaldo, magistro hospitaliorum Italiae et fratribus omnia negotia, quae evenerunt ultramarinis partibus. Sciatis igitur, quod rex Hierusalem erat apud Saphoram circa festum apostolorum Petri et Pauli cum magno exercitu, bene cum triginta millibus hominum, et erat bene concordatus cum comite Tripolitano, et comes cum illo erat cum exercitu suo. Et ecce Saladinus rex paganus accessit ad Tabariam cum LXXXta millibus equitum, et cepit Tabariam. Hoc facto movit rex Hierusalem de Saphora et ibat cum suis instructus contra Saladinum, et Saladinus venit contra illum apud Marestutiam in die Veneris post festum apostolorum Petri et Pauli,

et commissum est bellum, totaque die praeliati sunt acriter; sed nox diremit litem. Nocte superveniente rex Hierusalem fixit tentoria juxta Salnubiam et in crastino sabbato movit cum exercitu suo. Et circa horam tertiam magister templi inchoavit bellum cum omnibus suis fratribus, et non fuerunt adjuti, perdideruntque permissione Dei majorem partem suorum. Quo facto ivit rex cum exercitu suo a Naim, quasi leugam unam, in manu forti et labore magno, et tunc comes de Tripoli venit ad regem [a]) et fecit eum attentare juxta montem, qui est quasi castellum, et non poterant attentare nisi tendas tres. Hoc facto Turci viderunt illos castrametatos, et miserunt ignem circa exercitus regis, et adeo magnum habebant calorem, quod equitaturae aestuantes non poterant comedere vel bibere. Exin Baldoinus de Farmor et Bachaberbocus de Tabaria et Leisius cum aliis tribus sociis separaverunt se ab exercitu et iverunt ad Saladinum, et quod dictu miserabile est, renegaverunt fidem, et dediderunt se, dixeruntque illi conventum exercituum regis Hierusa-

---

[a]) In margine manu Gerlaci, ut videtur: Anno quo haec facta sunt, h. e. dominicae Inc. M.C.LXXXVII. ego G. suscepi locum istum regendum et nomen Abbatis, in quo usque hodie laboro inter multa adversa et fere nulla prospera misericordiam Dei exspectans. Post spatium aliquot linearum: In quadragesima hujus anni habita est contentio Henrici episcopi contra Fridericum ducem comminus in curia Ratisponensi coram Imperatore F. et primoribus totius regni. De hac contentione legendum Gerlaci Chronicon ad annum 1182.

lem et angustias eorum. Itaque Saladinus misit super nos Techedinum cum XX millibus electorum militum, qui interruperunt exercitum Christianorum, bellumque fuit acerrimum inter nonam et vesperam, et peccatis nostris exigentibus pluribus nostrorum occisis, devictus fuit populus christianus; et fuit rex captus et sancta crux et comes Gabula et Milo de Collatido et Onfredus juvenis et princeps Reinaldus captus et mortuus; et Galterius de Arsun et Hugo de Gibilen et dominus de Botrono et dominus de Marachele et mille alii de melioribus capti et mortui, ita quod non evasit inter milites et pedites ultra ducentos. Comes tripolitanus et dominus Basianus et R. dominus Sidonis evaserunt. Hoc facto recollegit Saladinus exercitum et die dominico venit Saphoram et cepit Saphoram et Nazareth et montem Thabor, et in die lunae venit ad Acon, quae et Acris dicitur et reddiderunt se illi de Acon, similiter illi de Caifas et illi de Cesarea et de Lafa, et de Naple, et de Ram, et de Sancto Georgio et de Ybellinon et Bellefort et de Mirabel, et Tyronus et Gwalerus de Gazer et Audurum omnes se reddiderunt. Hoc facto quando movit Galea nostra de Sur miserunt Sabanos ad Saladinum, ut iret Hierusalem et redderent civitatem. Et confugimus cum Galea ad Lechiam, et audivimus, quod Tyrus esset reddita. Istae autem civitates adhuc salvatae sunt et bene exspectabant adjutorium occidentalis ecclesiae, scilicet Hierusalem, Sur, Scalona, Marchart, Antiochia, Lassar, Sarona, Triplis. Tanta autem est multitudo Saracenorum et Turcorum, quod a Tyro, quam obsident, usque Hierusalem,

cooperuerunt superficiem terrae, quasi formicae innumerabiles, et nisi cito residuis et jam dictis civitatibus et reliquis paucissimis Christianorum orientalium subveniatur auxilio, simili casu ibunt in direptionem gentilium saevientium et sanguinem Christianorum sitientium.

Item epistola duci Austriae illustri transmissa Leupoldo.

Illustrissimo domino et benefactori suo praecipuo Leupoldo duci Austriae nobilissimo Hermenger, domini patientia Christi pauperum servus et fratrum sancti hospitalis Jerusalem provisor humilis, cum universo fratrum conventu, debitae orationis munus et sincerae devotionis instantiam. Piae magnitudinis vestrae dominio, ducum illustrissime, miserabilis jerosolimitanae terrae excidium satis notum esse credimus. Peccatis namque promerentibus dominus terram suam abominatus, manum suam super suum adgravans patrimonium, iram et furorem in nostros inmoderatos excessus juste et rationabiliter exercens, Christianorum cismarinorum causam cottidie deteriorem fieri permittit. In praesenti enim aestate nefandus Saladinus civitatem Tortosam, excepta Templariorum turri, funditus evertit et civitate Valaniae igne consumpta in partes Antiochiae secedens Gabalum et Laodiciam civitates famosissimas et Saonam, Gordam, Caveam, Rochefort, castra munitissima et usque ad portas Antiochiae sibi vendicans, Tarpasac et Gaston ultra Antiochiam obsedit et cepit, et sic toto principatu, excepta Maryato castro nostro munitissimo, vastato fere et perdito. Princeps cum Antiochenis, quod est miserabilius, cum Saladino pactum iniit, ut si ab istius in-

stanti Octobris introitu, usque ad VII. menses eis minime succurratur, Antiochiam, proh dolor! proborum Christianorum sanguine adquisitam, sine jactu etiam lapidum reddant et assignent. In terra quoque Jerusalem Cractum et montem regalem et castra munitissima in Arabia ultra flumen Jordanis et juxta mare mortuum sita, prae nimia famis inedia se in deditionem reddidisse sciatis. De Saphet quoque templi multum pertimescimus et inde de bello castello nostro, quanto tempore continuas obsidiones et imminentes labores perferre valeant, ignoramus. Has itaque epistolas ideo posui, ut cognoscere possit diligens lector, quam vehemens dolor corda omnium Christianorum ad ulciscendam injuriam Crucifixi et Christi sui commoverit per universum orbem.

Terra igitur promissionis et haereditas domini, terra sancta, terra, ubi steterunt pedes domini, miserabiliter, cum sancta civitate exterminio data, habitatoribus quoque ejus partim trucidatis, partim cum rege suo in captivitatem abductis, nec non sancta cruce, peccatis nostris exigentibus, ab inimico crucis Saladino asportata, lugubris quidam horror et hebetudo mentis cunctos per orbem invasit Christicolas.

Succitavit igitur deus spiritum Friderici Romanorum Imperatoris serenissimi et ad eripiendam terram redemptionis de manibus Saracenorum Christianis insultantium et ulciscendam effrenem audaciam eorum, animum intendit. Non denique eum venerandi senii fatiscentia jam membra, nec emeritae militiae diuturni labores, quos in recuperando Romani Imperii statu clarissimis contra rebelles triumphis per

plures annos desudaverat, non divitiarum seu deliciarum affluentia, non pergrandia imperii vel regni negotia potuerunt retrahere, quo vel sibi ipsi vel diu partis opibus vel carissimorum filiorum affectui parceret, quin prolixam et difficilem viam sanctae peregrinationis armata manu cum maximis imperii sumptibus intrepide aggrederetur et senex gloriosus juvenes quosque in bellum Christi exemplo sui accenderet, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si pacem orientali ecclesiae expugnatis hostibus christianae fidei reformaret, et sancta loca ab eis profanata divinae restitueret servituti.

Interea sanctae recordationis papa Gregorius, qui prius in romana ecclesia cancellarii functus dignitate, Adalbertus nuncupabatur, pro desolatione ierosolimitanae ecclesiae nimium animo perculsus et ut scriptum est: qui apponit scientiam, apponit dolorem, iram omnipotentis Dei super omnem ecclesiam imminere extemplo pertimescens, qui ut in Ezechiele legitur: a sanctuario meo incipite, a terra nostrae salutis consummativam plagam suam propter peccata populi Christiani primo exercuit, latius in proximo per omnem ecclesiam pervagaturam, si dignis poenitentiae fructibus non humiliemur, missis quaque terrarum per cunctas ecclesias apostolicis literis, salubribus monitis et exhortationibus universos sanctae matris catholicae ecclesiae filios incitabat ad liberationem terrae ierosolimitanae et sancti sepulchri domini de manu barbarorum, promissa (proposita) cunctorum venia delictorum et certitudine beatitudinis aeternae ac coelestis regni introitus eis, qui

fideliter iter illud salutiferum transmarinum contra communes hostes ecclesiae assumerent, cujus epistolae exhortationem ad universos fideles missam non sine causa subjungimus.

Gregorius [*]) episcopus, servus servorum Dei universis Christi fidelibus, ad quos literae istae pervenerint etc. Audita tremendi severitate judicii, quam super terram Jerusalem divina manus exercuit; tanto sumus nos et fratres nostri horrore confusi, ut non facile occurreret, quid agere aut quid dicere debeamus; quod etiam Psalmista deplorat et dicit: Deus venerunt et cetera. Ex occasione quippe dissensionis, quae malitia hominum ex suggestione diaboli facta est nuper in terra domini, accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad partes illas et occurrente sibi rege, episcopis, templariis, hospitalariis et baronibus cum militibus et populo terrae, et cruce dominica, quae ex memoria et fide passionis Christi, qui in ea pependit et genus humanum in ea redemit, certum solebat esse tutamen et contra paganorum incursus desiderata defensio, facta est congressio contra eos, et superata parte nostrorum capta est crux dominica, trucidati episcopi, captus est rex et universi fere aut occisi gladio aut hostilibus manibus deprehensi ita, ut paucissimi per fugam dicantur elapsi; episcopi quoque, templarii et hospitalarii in ejus oculis decollati, superato autem exercitu qualiter subsequenter invase-

[*]) In margine a manu posteriore: L u c i u s p a p a q u i e t G r e g o r i u s. Pessime. Nam Lucio Urbanus successit. Post Urbanum 1187 defunctum Gregorius 20. Octobris electus, 25. consecratus, 17. Decembris ejusdem anni mortuus est.

rint et rapuerint universa, ita ut perpauca loca remansisse dicantur, quae non in eorum devenerint potestatem, non credimus literis exprimendum, donec ad nos aliquis de partibus illis accedat, qui plenius ordinis veritatem exponat. Nos autem, licet cum propheta dicere habeamus, quis det capiti meo aquam et oculis meis fontem lachrimarum et plorabo nocte ac die interfectos populi mei, non tamen adeo nos deicere debemus, ut in diffidentiam decidamus, et non credamus sic Deum populo suo iratum, ut, quod communi faciente multitudine peccatorum fieri permisit iratus, non cito per misericordiam poenitentia placatus alleviet et post lacrimationem et fletum exultationem inducat. Quis enim sanae mentis in tanta lugendi materia, si non corpore, saltem corde non lugeat, non tantum fidei Christianae, quae cum omnibus dolentibus docet esse dolendum, sed ipsius etiam humanitatis videtur oblitus, cum ipsa periculi magnitudine ac feritate barbarica Christianorum sanguinem sitiente, ac totam suam in hoc apponente virtutem, ut profanare sancta et cultum Dei valeat auferre de terra, quod nos tacemus, disertus quisque valeat aestimare. Sane cum prophetae toto prius studio laboraverint, postmodum apostoli et sequaces eorum, ut divinus cultus esset in terra illa et ad omnia climata mundi ex ea deflueret, immo quod maximum et ineffabile est, Deus, qui voluit tantum et facta sunt universa per ineffabilem sapientiam et incomprehensibilem misericordiam suam, per infirmitatem carnis, esuriem, *) sitim,

*) Sitim etc. e Transumto Raygradensi.

crucem et mortem et resurrectionem salutem nostram voluit operari, juxta quod dicitur, quod operatus est salutem in medio terrae, per se ipsum ad hoc dignatus sit laborare, quod nec lingua dicere, nec sensus hominis cogitare potest; quantum non et universo dolendum sit populo Christiano, quod nunc perpessa est terra illa, quod sub veteri populo legitur pertulisse. Nos autem credere non debemus, quod ex injustitia judicis ferientis, sed ex iniquitate potius populi delinquentis ista proveniunt; cum legamus, quod, quando populus convertebatur ad dominum, persequebatur unus mille, et duo fugabant decem millia, immo et ipso populo quiescente exercitum Senacherib angelica manu consumptum, et terra illa devoravit habitatores suos, nec diu habere quietum statum, nec transgressores divinae legis potuit retinere, doctrinam et exemplum tribuens illis, qui ad Jerusalem supremam intenderent qui non possint ad eam, nisi per exercitium boni operis et tentationes plurimas pervenire.

Potuerunt autem jam pridem ista timeri, quando Arvasia et alia terra in potestatem transiit paganorum, et fuisset bene provisum, si populus, qui remansit, ad poenitentiam rediisset et dominum, quem praevaricatione offenderat, conversione placasset; nec enim subito venit ira ejus, sed ultionem differt et tempus poenitendi tribuit. Tandem vero, quia misericordia judicium non amittit, vindictam suam ad poenam transgredientium et cautelam salvandorum exercet. Porro nos in tanta illius terrae constrictione, non solum peccatum habitatorum ejus; sed et nostrum et totius populi christiani

debemus attendere, ac vereri, ne quod reliquum est terrae illius, depereat, et in alias etiam potestas eorum desaeviat regiones, cum ex omnibus mundi partibus inter reges et principes, civitates et civitates dissensiones audiamus et scandala, et lugere cum propheta et dicere valeamus: Non est veritas, non est scientia Dei in terra; furtum et mendacium, homicidium et adulterium inundaverunt, sanguis sanguinem tetigit. Unde hoc universis et cogitandum et agendum imminet, ut peccata nostra castigatione voluntaria emendemus et per poenitentiam et opera pietatis convertamur ad Dominum Jesum Christum, et in nobis primo, quod mali gessimus, emendemus, deinde foeditatem et malitiam hostium attendamus, et quod illi contra Dominum attentare non timent, nos pro Deo agere nullatenus haesitemus. Cogitate itaque filii, qualiter in hunc mundum venistis, et qualiter extranei sitis, qualiter transeatis et vos, et poenitendi et bene agendi tempus, quantum spectat ad vos, cum gratiarum actione percipite et date vos ipsos non in exterminium, sed in observationem ei, a quo et vos et vestra omnia accepistis, quia non estis ex vobis, nec quidquam in vobis habetis, qui nec culicem unum potestis facere super terram. Nec dicimus dimittite, sed praemittite in coeleste horreum, quae habetis, et deponite apud eum, apud quem aerugo ea non demolitur aut tinea, nec fures effodiunt et furantur, laborantes ad recuperationem terrae illius, in qua pro salute nostra veritas de terra orta est, et sustinere pro nobis crucis patibulum non despexit, et nolite adhuc ad lucrum vel ad gloriam temporalem intendere, sed

ad voluntatem Dei qui pro fratribus animas in se ipso docuit esse ponendas, et ei nostras commodare divitias, quas sive volentes sive nolentes nescitis tandem, quibus sitis haeredibus relicturi. Non est equidem novum, quod terra illa divino judicio percutitur, sed nec insolitum, ut flagellata et castigata misericordiam consequatur. Poterat quidem dominus sola ea voluntate servasse, sed non habemus ei dicere, cur ita fecerit. Voluit enim forsitan experiri, et ad notitiam pervenire aliorum, si aliquis sit intelligens aut requirens Dominum, qui oblatum sibi poenitentiae tempus hilariter amplectatur, et animam ponendo pro fratribus consumetur in brevi et compleat tempora multa. Attendite, quali Machabei zelo divinae legis accensi pro fratribus liberandis extrema quoque pericula sint experti, et non solum substantias, sed et personas pro fratrum docuerunt salute ponendas, exhortantes se ipsos atque dicentes: accingimini et estote filii potentes, quoniam melius est nobis mori in bello quam videre mala gentis nostrae et sanctorum, et quod illi sub una lege constituti fecerunt, vos per incarnationem domini nostri Jesu Christi ad lucem veritatis reducti, et multorum instructi exemplis Sanctorum, sine trepidatione aliqua faciatis, et non timeatis dare terrena et pauca et brevi tempore duratura, quibus illa bona promissa sunt et reposita, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, de quibus dicit Apostolus, quod non sint condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Jis autem, qui corde contrito et humiliato spiritu laborem itineris assumpserint,

et in poenitentia peccatorum et fide recta decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam et vitam pollicemur aeternam; sive autem supervixerint, sive mortui fuerint, de omnibus peccatis suis, de quibus rectam confessionem fecerint, inpositae satisfactionis relaxationem, de omnipotentis Dei misericordia et apostolorum Petri et Pauli auctoritate, se noverint veniam habituros. Bona quoque ipsorum, ex quo crucem acceperint, cum suis familiis sub S. Rom. Ecclesiae tuitione consistant, et nullam de his, quae usque ad susceptionem crucis quiete possederint, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sustineant quaestionem, sed bona eorum integra maneant et quieta. Ad dandas quoque usuras si teneantur alicui, non cogantur, sed absoluti maneant et quieti. Nec eant in vestibus pretiosis; et cum canibus sive avibus, aut aliis, quae oblectationi potius et lasciviae quam necessariis videntur usibus deservire, sed in modesto apparatu et habitu, in quo poenitentiam potius agere, quam inanem affectare gloriam videantur.

Executorem ergo hujus sancti negotii, praedicatorem seu exhortatorem placitae Christo expeditionis direxit a latere suo virum sapientem et discretum ac religiosum Cardinalem albanensem, episcopum Henricum, abbatem prius claraevallensen, qui licet francigena et teutonicae linguae ignarus per interpretem tamen suavi doctrina multorum strenuorum militum animos in Teutonia ad iter illud praeparavit. De quibus salubribus monitis suis epistolam, quam ad principes universae Teutoniae misit, subjunxi:

Charissimis in Christo fratribus et amicis:

Venerabilibus Dei gratia Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Praepositis, aliis Ecclesiarum Praelatis, et nobilibus viris, Ducibus, Comitibus, Marchionibus, et universis per regnum Teutonicum constitutis, ad quos literae istae pervenerint, Henricus eadem gratia albanensis Episcopus, Apostolicae sedis Legatus Salutem in Domino. Ex quo vox illa turturis, vox gemitus, vox doloris fines nostros lamentabili nuper novitate timoris aspersit, quis ad tantam stragem non ingemisceret populi christiani, quis terram illam sanctam, quam redemptioni nostrae ipsi dedicarunt pedes domini, spurcitiis paganorum non doleat exponi? Quis crucem salvificam captam non deploret, et conculcatam ab ethnicis, et Sanctuarium Domini profanatum? Heu heu ad auditum quondam simile, cum fixuras clavorum crux ipsa susciperet, terra tremuit, sol expavit, petrae scissae sunt et aperta credimus monumenta; cujus vel saxeum pectus auditus iste non emolliat? Cum spinis afficitur, crucifigitur, iterum contumeliis afficitur crux admirabilis, nostrorum gratia vulnerum, restitutio Sapientum, lignum dulce, Signaculum vitae, vexillum militiae christianae, fateamur necesse est, quod meritis quoque minora patimur, et majora tamen quam potuerimus vel timere. Verumtamen, quia universae viae Domini misericordia et veritas, eatenus nos dejicere non debemus, quin semper attendendum nobis sit, quod, qui peccatis exigentibus populum Christianum, qui jam post concupiscentias suas oculos statuerant declinare in terram, de judicio flagellavit, redemptionem nobis de mi-

sericordia reservavit. Quomodo enim asportari permitteret lignum crucis ab ethnicis, nisi iterum crucifigendus ab eis? Ecce videmus iratum redemptionis nostrae mysterium, dum pro nobis suo nunc nomini non pepercit vel cruci, qui quando filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim abbreviata est manus Domini, nec brachium ejus infirmatum est, ut salvari non possit, sed operatur misericordiam suam inscrutabilis altitudo sapientiae Dei, ut torpentem mundi devotionem sic excitet, atque per obsequium nostrum et aliorum, quos ad hoc eligere dignatus fuerit, nobis salubriter et sibi gloriose de barbarae nationis hostilitate triumphet. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, in quibus utinam milites Christi abjicientes opera tenebrarum et ad vindicandum crucis imperium indui non differant arma lucis, loricam fidei et salutis galeam assumentes. Militia fuit non militia, quod hactenus Christianorum caedibus et rapinis et execrabilibus tornamentis sive tormentis intenti, ignem inextinguibilem, et immortalium cruciatus vermium meruerunt. Felix eis adest militia, in qua et vincere gloria, et multo magis mori lucrum. Ad hanc invitat nos hodie, qui amat animas, nec propriae pepercit injuriae, ut necessitatem fidelibus suis imponeret ad hanc eos militiam compellente. Adest, qui signaculum vitae gementibus super tantis malis ad evasionem intolerabilis percussionis imponat, et quamvis multiplicia vasa interitus exigentibus peccatis jam egressi teneant percussores, solos nocebit eos, qui divinitus oblatum sibi vitae signaculum recusabit. Inde

est, quod a Serenissimo domino Friderico Rom. Imperatore et semper Augusto etc. nobis de mandato Sedis Apostolicae pro eodem negotio, quantum Domino cooperante facultas suppetit, laboramus; solemnis enim curia constituta apud Moguntiam, ad quam Dominica, qua cantatur: laetare Jerusalem, diem festum agant Domino, et conventum faciant omnes, qui diligunt eum. Quoniam igitur eadem curia singulariter est Salvatori Domino deputata, sicut imperialis majestas sua potestate vos convocat, nos quoque ex parte Dei, et ea, qua fungimur, legationis auctoritate universitatem vestram ad eandem curiam convocamus, et ne quis vestrum sine legitima et certa necessitate praesentiam suam praedicto Concilio Christianitatis exhibere dissimulet, injungimus firmiter et mandamus. Vos autem Venerabiles Episcopos in convocandis Abbatibus et aliis Praelatis, qui sub vobis sunt, unacum praesentium latore, qui forte omnes adire non poterit, fore credimus studiosos. Illud tandem universitati vestrae duximus adjungendum, ut ad curiam Jesu Christi cum ea gravitate et modestia, qua convenit, omni otiositate et omni curiositate et gloria tomporali postposita, studeatis adesse. Igne tamen charitatis et obedientiae ad exaltationem Christiani nominis unanimiter inflammati, ut fidem, quam lingua nostra loquitur, habitus et conversatio fateatur.

Et primo quidem tuba almisonae transmarinae praedicationis apud Argentinam civitatem, quae et Strasburg dicitur, in curia solemni Domini Imperatoris, ad quam coloniensis Archiepiscopus Philippus cum quibusdam objectis ad

satisfactionem fuerat vocatus, sonore concrepuit, per quemdam apostolicae sedis Legatum et Episcopum Strasburgensem, qui plurimorum illustrium virorum mentes ad iter Christi excitavit, qui et alacriter crucis Christi inibi insignitus charactere, multos sui postea pios aemulatores gloriose praeibat. Incitabat et cooperabatur eo tempore ferventissimo studio ad idem propositum venerabilis Herbipolensis Episcopus Gotfridus; vir et nobilitate generis et scientia literarum facetus, atque facundia tunc temporis scientissimus, et utriusque juris peritus. Qui dum multorum feros quodammodo animos ad viam Domini emolliret, subito quadam mutatione animi alteratus navigationem transmarinam faciliorem utique pedestri expeditione ardua et prolixiori animo sibi delegavit, ejus instigante invidia, qui plerumque transfigurat se in angelum lucis, qui quoque solito livore tantum virum exercitui vivificae crucis subtrahere conabatur. Tanti denique viri immutatione multorum corda fortia multum ad iter illud succensa tepuerunt, si ex divina inspiratione sapiens industria, Imperialisque auctoritas Illustrissimi Augusti Friderici tam Episcopum praenotatum, quam quosdam alios ab instanti proposito non revocasset. Accedebat quoque ipsius Augusti monitis Apostolica auctoritas, et districta interminatio summi Pontificis Clementis, Praenestini prius Episcopi, qui Gregorio successerat, et huic expeditioni modis omnibus intendebat. Certatim ergo per omnem Germaniam electissimi milites crucis Christi signaculum sibi affigentes contra hostem antiquum et ejus membra,

qui invaserant haereditatem Domini *), et polluerant templum sanctum ejus, aciem instaurabant. Non minore quoque fervore rex Franciae et rex Angliae cum magna utriusque regni militia cruce assumpta eo se ituros voverunt, quod factis tunc minime impleverunt. Pro saluberrima itaque in Christi arma conjuratorum expeditione promovenda curia solemnis apud Moguntiam habetur et consilio memorati cardinalis episcopi albanensis apostolicae sedis Legati a domino Imperatore indicitur, placuitque eam curiam Christi nuncupari ⁴) Anno incarnat. Domini MCLXXXVIII. indictione VI. in mediae XLae dominica laetare Jerusalem, quae tunc VI. kal. aprilis evenit, curia Christi in Moguntia metropoli conventu principum, tam episcoporum quam ducum, marchionum, comitum ac nobilium, electissimorum quoque militum confluentium est celebrata, ubi dominus imperator non sine multorum uberrimis lachrimis, crucis Christi accepto signaculo ad iter memorabile constanti animo se praeparare declaravit, inclitum caput fidelibus membris signatorum et gloriosus signifer se anteponens. Mox igitur ejus exemplo clarissimi principes, episcopi, duces, marchiones, comites, egregiique et robusti milites, pluresque religiosi sa-

*) Et polluerant etc. e Msto. coaevo.

⁴) Gerlacus in margine: De curia Christi habita Mog. anno verbi inc. M. C. XXXVIII. Et mox sequentia: Ad hanc curiam cum episcopus Heinricus venire non posset, misit Ricolfum de Stragov virum litteratum, qui reversus omnia, quae ibi vidit et audivit, prius episcopo, deinde omnibus nobis fideliter narravit.

cerdotes, pari modo crucis sanctae se signaculo insignientes, quos in sequentibus suis exprimemus vocabulis, praeter numerosos primates signatos famosum et hostibus Christi pertimescendum, electorum tamen militum exercitum effecere, licet quidam postea retro abierint, quos etiam propriis declarabimus vocabulis. Nemo tunc pene alicujus virilis constantiae in tota Teutonia reputabatur, qui absque salutifero signaculo inspiciebatur, et signatorum Christi contubernio associatus. Eodem anno in curia imperatoriae majestatis apud Nurnberch frequentia principum celebrata supervenerunt legati constantinopolitani imperatoris Ysachii, cancellarius videlicet ipsius Johannes et alii quidam priores Graeciae, nuncii quoque Soldani de Iconio, principis Turcorum, dominum Imperatorem ex parte dominorum suorum pompose salutantes. Celebris quippe rumor ierosolimitanae expeditionis tam Illiricum totum, quam multas partes Orientis timore signatorum armatorum Christi non mediocriter commoverat.

Et imperator constantinopolitanus proposuit domino glorioso Romanorum Imperatori, quia ex vulgata opinione ierosolimitanae expeditionis suspicionem concepisset hostilis invasionis in regnum suum tam ab ipso, quam a rege Franciae; ideoque, si de ejusmodi suspicione non sibi satis fieret, clausuris Bulgariae introitum nobis denegaturum et modis omnibus adversaturum. Proinde invictus Imperator, ut verus pacis amator ex pura conscientia trium egregiorum principum praestito sacramento, scilicet episcopi Wierzpurgensis, et ducis Sueviae

itemque ducis Austriae praescripta suspicione se et omnes suos libere absolvit. Hoc facto gratulabundus animo graecus cancellarius cum suis sociis ex parte domini sui regis et cunctorum Graeciae principum juravit super sancta evangelia et domino Imperatori et universo Christi exercitui veram ac firmam amicitiam et bonae viae conductum et optimi fori apparatum, ac fidelem transfretationis commeatum, sed linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum, quia nihil eorum, quae juraverunt, opere postea adimpleverunt. E converso autem domini Imperatoris mandato tres principes rursus juraverunt, quia Graecis pacta jurata servantibus noster ad illos pacificus et tranquillus esset introitus. Igitur spe sacramenti Graecorum pius Imperator praemisit honoratos et industrios nuncios, episcopum videlicet Monasteriensem et comitem Rudpertum de Nasowe, et cognatum ejus Walrab comitem et Henricum juniorem, comitem de Diez et March camerarium suum ante faciem suam, et antequam exercitus sanctae crucis de sedibus suis promoveret, ut ea, quaecumque a Graecis sub sacramenti tenore promissa fuerant, opera ipsorum exercitus praeparata inveniret, sed ignorabat tam prudens Imperator, quod tam simplices et fideles legati mittebantur, sicut oves in medio luporum. Flagrabat tunc in strenuissimis agonithetis gloriosus ardor pugnandi contra invasores sanctae civitatis et sacrosancti sepulchri domini, omnem infinitam quodammodo multitudinem nullam reputantes, quibus jam vivere Christus erat et mori lucrum. Anno incarnat.

domini MCLXXXVIIII° [5]) indictione VIIa anno imperii sui XXXIII, regni vero XXXVIII. Fridericus Romanorum Imperator victoriosissimus ordinatis expeditioni transmarinae necessariis et commendatis filio suo illustri Romanorum regi Heinrico imperii negotiis, V° idus Mai, movit a Ratispona cum exercitu signatorum Christi et navigio secundo per Danubii alveum usque Wiennam est transvectus, parte maxima exercitus terrestri itinere antea illo usque praemisso. In ea navigatione vicum, qui Mulhusyn dicitur, in ripa Danubii situm justo dedit incendio, quoniam cives loci ejusdem vectigal insolitum a transeuntibus peregrinis, Signatis videlicet Christi, novo superbiae fastu exegerant. A Wienna civitate profectus, terram ungaricam, quae extra port..s dicitur, nono Kal. Junii cum exercitu domini intravit, et in planitie camporum, qui vulgo uieruelt dicitur, juxta Bosonium urbem castra metati per IVuor

---

[5]) Eodem folio pag. versa Gerlacus in margine; Hoc anno mortuus est Fridericus dux Boem. videlicet VIII. kal. Aprilis et Pragae apud S. Vitum sepultus, cui successit Conradus, qui et Otto, de quo supra diximus; favore interim dominae Elisabethae, quae castrum pragense sibi dedit in manus, receptis ab eo sacramentis pro Olomutzensi, sed ipse adeptus quod voluit, postea eam fefellit. Taliter ergo adeptus primo castrum, deinde Boemiam, nec non et favorem Boemorum Ratisponam adiit et de manu Imperatoris in ultima ejus curia, de qua supra agitur, vexilla percepit. Confer, quae ad annum 1185 in chronographo Siloensi leguntur, quem a Gerlaco non fuisse distinctum, ex verbis Gerlaci: de quo supra diximus, certo concludimus.

dies ibi consederunt, donec omnis peregrinorum ibi exercitus adunaretur. Interea tamen dominus Imperator non feriebatur; sed nunc de itinere peregrinorum ordinans, nunc litigantium controversias discutiens, inter quos et binos duello coram se decertantes, priusquam alteruter occumberet, pia lenitate et misericordi potestate litem dirimendo concordavit. Secundum ergo diem pentecostes inibi cum exercitu solemnizavit, habens secum, qui eum comitati fuerant, nonnullos principes praeter signatos, scilicet episcopos. Babinbergensem, et Frisingensem et ducem Austriae, pluresque comites et barones. Ibi ergo nuncios gloriosi Regis Ungariorum Belae, magnifice se suscipientis et invitantis, obvios habuit, et deinceps ipsos duces et comites itineris duxit secum. In praedicta igitur camporum latissimorum mansione computati sunt isti in exercitu Christi priores et celebriores: Fridericus Romanorum Imperator et augustus, et filius ejus dux Sueviae Fridericus; episcopi: Rudolfus Leodicensis, germanus ducis de Zaerigne, Gotfridus *) Wierzburgensis, Leopoldus Pataviensis, Conradus Ratisponensis, Henricus Basileensis, Martinus Mihsinensis, Arnoldus Osmburgensis et duo illi, qui postea supervenerant, Heumo Archiepiscopus Tarentasianus, Henricus Tullensis vel Leucorum, episcopus Jazarensis, de Ungaria, Hermannus praeterea Monasteriensis, qui tamen tunc ibi non erat, quia in legatione Domini Imperatoris ad Constantinopolitanum Regem cum sociis suis praecesserat, Venerabilis

*) Quae sequuntur, e Raygradensi Transumto.

quoque Abbas Agmundensis Isinricus. Praeterea Dux Dalmatiae idemque Marchio Istriae Pertholdus, Pertholdus Marchio de Voburg, Hermannus Marchio de Badin, comes magnus de Holland, Florentinus et filius ejus et frater ejus, Otto Comes de Pentheim, Henricus comes de Seien, Henricus comes de Spanheim et frater ejus senior, Henricus comes de Chuich, Dietricus Comes de Widen, Engelbertus Comes de Berge, qui in itinere apud Govin in fine Ungariae rebus excessit humanis. Henricus Comes de Sarbnikke, Fridericus Comes de Abinbach, Poppo Comes de Herinbach. De Suevia Chunradus Comes de Ottinge, Olricus Comes de Chiebach et frater ejus Adilbertus, Comes de Dilingen, Bertholdus Comes de Newenbach, Henricus Comes de Verigen. De Bavaria Comes Gebehardus de Talinstein, Sigfridus Comes de Leubnowe, Chunradus Comes de Dornberg, Chuno Comes de Walchinstein. De Saxonia Adolphus Comes de Schombach, Christianus Comes de Altenbach, Luiboldus Comes de Holrmund et frater ejus Willibrandus, Bunhardus Comes de Waldinrode. Item Rupertus Comes de Nassowe, et cognatus ejus Walrob comes, Henricus junior Comes de Chietse, qui cum Episcopo Monasteriensi functi erant legatione Imperatoris in Graecia. Praeterea comes de Salm et frater Comitis de Mant, qui exercitum subsecuti apud Brandiez primo supervenerunt, et cum eis plures civium Metensium. Item Gabpertus de Aspermont cum suis sociis, qui cum episcopo Tullense in fine Bulgariae supervenerunt. Isti vero de nobilibus meliores fuerunt: De Saxonia praefectus Magdeburgensis

et Windichint de Swolmsech, Ludkerus de Wadilbach. De Carinthia et Marchia Luiboldus de Waldstein, Adilbertus de Wihssilbach. De Austria Fridericus advocatus de Perge, Otto de Rombspach. De Bavaria Diepoldus Luikinbach, Henricus de Grunnebach, Hodbrandus de Arnspach, Poto de Massing, Chunradus de Horbach, Arnoldus de Hornbach, Peringens de Gambach, Adilbertus de Pinkbach. De Suevia et Alsatia Cunradus de Schwarzinbach, Hermannus de Hirsbach, Bertholdus de Kunigisbach, Heinricus de Sirbach. De Franconia Adilbertus de Hiltinbach, Adilbertus de Grunnibach, Albertus de Hohinloh, Eberhardus, Eberhardus et Reinoldus de Rietenbach, Heinricus de Hagen. Ministerialium vero et aliorum electorum militum terribilem et ordinatam aciem per singulos quis dinumerare sufficiet? Isti proh dolor ex Principibus signatis Christianae militiae diversis occasionibus bellorum domesticorum, et antiqui hostis irritamentis retro abierunt, et voti sui violatores, et radicem non habentes a via Christi in tempore tentationis recesserunt:

Philippus Rex Franciae, Henricus Rex Angliae, Comes Flandriae; Otto qui et Chunradus Dux Boëmiae, [6]) Dux de Lovin, Dux de Lintbach, Episcopus Spirensis; Episcopus Cameracensis, Comes de Jon, Comes de Gulich, Comes de Lar,

---

[6]) Qui Conradus vel Otto propter ducatum Boemiae nuper adeptum viam hanc Christi omisit, et eadem aestate jussu Henrici regis Zirbiam vastavit, incendit et fere totam delevit. Gerlacus in margine.

Comes de Duracz, Comes de Hohinstat, Comes de Perfirnit, quod tandem a nostris signatis et animo constantissimis, et quaeque pericula subire paratis, qui in corde bono et optimo verbum Dei retinentes, et fructum condignum in propriorum corporum oblatione Domino offerentes, admodum parvi pendebatur. Bremensis vero Episcopus et Landgravius Thuringiae et Comes de Gelr et Comes de Tekkenbach navigationem transmarinam elegerunt, quod tam in eis, quam in aliis multis nostratibus, quos pudor est nominare, fuit notabile, quod laborem expeditionis hujus laudabilis detrectavere. Compendiosam navigationem, quae minus hostilis timoris paganorum habuit, huic praeferentes, dum in aliqua civitatum Christianis relictarum nostrorum ignaviter operiebantur adventum. Licet postea praeclara virtutum insignia de Landgravio in ierosolimitanis partibus audiverimus. Nec praetereundam puto memorabilem constantiam Tarentasiani Archiepiscopi et Episcopi Leukorum, item Tullensis, sociorumque eorum, qui dum diverso tempore multis sociis militibus comitati ex Burgundia et Lotharingia exercitum Christi subsequuntur, nonnunquam falsis rumoribus atterriti et fame cruciati in summa coarctarentur egestate, inde denique cum omnes pene socii Tarentasiani Archiepiscopi perterriti versus mare tenderent retro, ipse inperterritus usque ad exercitum accessit, sicut nihilominus Tullensis Episcopus post sex fere septimanas constanter advolavit, et uterque oculata fide falsa sibi fuisse relata perspexit. Horum denique omnium consilio principum in praenotata mansione Dominus Imperator opti-

homines cum equis gurgite ejusdem fluminis cunctis inspicientibus sunt submersi. Nativitatem S. Johannis baptistae in marchia, quae est inter Ungariam et fines Graeciae, in vico ad S. Georium dicto, miliare unum a franca villa distantem, celebravimus. Inde Syrmium civitatem quondam famosam transeuntes, in vigilia apostolorum Petri et Pauli Sauum seu Sawam fluvium, ubi Danubius influit, felicius, quam Dravum transivimus et mox in terra ditionis Graecorum fuimus constituti; quinta exeunte septimana, postquam apud Presburch terram ungaricam attigimus, festum ipsum apostolorum inibi, id est in littore Sowe celebravimus, in civitate semidiruta Wizzenburch dicta, quae et Belgradum dicitur, ex opposito Gowin sita. In maxima denique tranquillitate et aeris temperie plus solito mitiore nobis arridente, in tantum ut culices, oestra, muscae, serpentes, quae in Ungaria aestivo tempore iter in equis agentes graviter inquietant, non solum nos vel animalia non laederent, verum etiam raro a nobis visa sint, Ungariam permeavimus. Sexta non. Julii pervenimus ad Brandiz per silvestria, ubi naves omnes dimisimus, et currus seu plaustra onerare cepimus; quas etiam naves omnes exquisito studio artificum fabricatas omnium Christi peregrinorum gloriosus Imperator regi Ungariae imperiali largitate donavit, majora equidem beneficiis ejus recompensans. Ibi Fridericus bonae indolis juvenis comes de Abinberch gladio est accinctus, ibi comites illi, quos praediximus et cives Metenses cum Archiepiscopo Tarentasiano exercitui nostro sunt adjuncti. In ea mansione comes Engelbertus de Perge apud

Gowin diem clausit extremum. Ibi etiam rex Ungariae muneribus dominum Imperatorem per nuncios honoravit. Dux de Brandiz quantum ad oculum bene suscepit Imperatorem, sed quia exitus acta probat, quantum in sequentibus claruit, subdolum se et nequissimum erga ipsum et omnem exercitum exhibuit, tam ipse quam omnes Graeci. Ab ipsa quam dicunt, trita semita seu strata publica Bulgariae aliquibus in locis nos averterant, et insuper eam, in quam nos deduxerant, saxosam et non planam, mandato sui Imperatoris Graeciae obstruxerant, sed Ungari signati et conperegrini gnari viarum ipsarum duabus aut tribus dietis exercitum praecedentes, viam ipsam laboriose aperiebant, Graeculis resistere non valentibus, et sic perfidis Graecis mentita est iniquitas sibi. Sed neque hoc malitiae ipsorum suffecit, quin in ipsa silva longissima Bulgariae, quam idus Julii ab Brandiz promoventes intravimus, Graeculos, Bulgaros, Servios et Flaços semibarbaros in insidiis ponerent, ut ex abditis repentinis incursibus extremos in castris, sed et servientes in pastu equorum colligendo progredientes sagittis toxicatis ferirent, quorum plures dum conprehenderentur, confessi sunt jussu domini sui ducis de Brandiz et principaliter Imperatoris Graecorum edicto, ad haec se perpetranda coactos, qui etiam mox debitas poenas dignis suppliciis exsolvebant. Plurimum denique in ipsa silva laboravit exercitus peregrinorum, dum indies fiebat strages populariorum occisorum, tum rapinae erumpentium latronum e Graecis, auferentium equos incessabiliter, et currus absque militaribus praesidiis euntes de-

praedantium, tum viarum mira difficultas, tum etiam peditum et quorumdam pauperiorum cibos quoslibet inconsulte sumentium assidua mortalitas. Et tamen in his periculis nostri omnes semper animosiores, in manu forti procedebant intrepidi. In praenotatae Bulgariae silvestribus cum desertae pene civitati Rabnel dictae appropinquaremus, iterum nuncius regis Ungariae missus ad Imperatorem supervenit, per quem significavit Imperatorem constantinopolitanum generum suum e Graecia ultra mare, quod brachium S. Georgii dicitur, necessitate belli dudum egressum et prolixae viae interstitio in obsidione Philadelphiae commorantem ideoque minus oporteret eum mirari, quod nullis adhuc nunciis ab ipso esset salutatus et honoratus. Nunciavit praeterea militum peregrinorum et signatorum agmen e Teutonia nostro sociari volentium exercitui regnum suum intrasse. Interim praenuncius cancellarii ipsius constantinopolitani Imperatoris cum literis venit ad Imperatorem Rom., quarum literarum tenor hic erat revera in dolo, dominum suum mirari, quod nondum per certos nuncios adventum suum et exercitus ipsi significasset, ut eo accuratius splendidis suorum occursibus, et boni fori praeparatione eum et exercitum conduxisset. Attamen cum jam introitum ipsius in regnum suum conperisset, misisse in occursum ejus, qui in civitate Straliz ipsius conperirentur adventum. Ad haec sapienter Imperator pro verbis verba reddens breviter respondit: honorabiles legatos, scilicet episcopum Monasteriensem et comitem de Nassowe, sed et camerarium suum se dudum praemisisse, ideoque frustra hanc

eum praetendere occasionem. Litterae quoque praedictorum venerabilium legatorum domino Imperatori nihilominus supervenerunt significantes, se laborioso progressu usque in viciniam Constantinopolis incolumes transisse, ibique se commorantes, graeci, ut dictum est, imperatoris absentiam declarantes. His etiam diebus praeambuli magni comitis de Saruia et Crassia ejusque germani aeque comitis praepotentis venerunt, nunciantes eorundem dominorum suorum comitum adventum in serenissimi imperatoris occursum et omnimodum servitium ac subjectionem ipsi promittentium. Cum igitur ad Nisam, civitatem aliquando munitam, sed a rege Bela saepefato Ungariae sub Antronico Graeciae tyranno ex parte dirutam, cunctus venisset exercitus, ibique per triduum et ultra propter mercatum moraretur, idem magnus Neamen dictus ac germanus suus Crazimerus in magna pompa domino Imperatori occurrerunt et ab ipso seu principibus exercitus VI. Kal. Augusti honorabiliter sunt suscepti. Ipsi vero in indicium suae devotionis vinum et ordeum seu farinam, oves et boves domino Imperatori splendide et copiose obtulerunt et inter cetera munera eos, quos dicunt boves marinos seu focas VI. et aprum mansuetum et tres cervos vivos, itidem mansuetos, dederunt. Singulos quoque principum Imperatori familiariorum pari modo in vino, bubus et ovibus munifice honoraverunt. Se ipsos nihilominus et omnes suos cum armis offerebant devota instantia in adjutorium praesentis expeditionis et specialiter adversus regem Graeciae, si forte contingeret adversari eum Christi exercitui, sicut ipsi de

eo tunc opinabantur, propter praemissos latrunculos nostros indies infestantes, quod nos dispendio personarum et rerum experti sumus. Idem praeterea comites cum tertio fratre suo Mercilao occupaverant in gladio et arcu suo Nissam civitatem et circa eam ac deinceps usque ad Straliz omnem terram illam ex ditione Graecorum praereptam sibique eam vendicabant, ulterius etiam quaqua versum dominium suum et potestatem extendere intendentes et pro ipsa terra bellica virtute sua conquisita de manu Imperatoris Romanorum percipienda hominium et fidelitatem ipsi offerebant ad perpetuam romani imperii gloriam, nullo quidem timore coacti, sed sola ipsius teutonici regni dilectione invitati. Sed dominus Imperator illud perpendens, qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter, alieni belli occasione propositum iter contra invasores sancti sepulchri nolens vel immutare vel protelare, comitibus quidem illis gratiarum actionibus praemissis benigne respondit, se pro amore Christi peregrinationem laboriosam contra oppressores terrae ierosolimitanae suscepisse, nullumque se malum fastu alicujus ambitionis adversus quemlibet christianum regem machinari, similiter nec adversus regem Graeciae, ita tamen, si ipse fidum conductam, ut saepe promiserat, et bonum forum exercitui praepararet; alioquin contra falsos christianos insidiatores peregrinorum Christi aeque ut contra paganos se armari et ferro viam cum suis facturum.

Aliud vero negotium aperiebant domino Imperatori primitus etiam agitatum, agentes precibus, ut in sui praesentia imperiali aucto-

ritate terminaretur, scilicet ut filia illustris ducis Dalmatiae in matrimonio filio suo daretur. Quae petitio ad beneplacitum Imperatoris et consilio principum dignum sortita est effectum, quoniam praenotatus dux Perhtoldus ipsam suam filiam in proximo S. Georgii festo in partibus Ystriae memorato juveni Tohu dicto, se assignaturum eo pacto, quod idem Tohu et sui ex filia ducis Berhtoldi haeredes mortuo patri in plenitudine potestatis prae omnibus suis fratribus succederent, quod etiam pactum ipsi comites datis dextris firmaverunt. Quod autem praescripti comites partem regis Graeciae, eo tempore tam confidenter invaserant, haec eis fuit materia. Manuele imperatore constantinopol. defuncto filioque suo Alexio adolescentulo sceptra regni per tutores suos tenente, cui etiam pater non multo antea regis Franciae Philippi germanam desponsaverat, surrexit quidam de sanguine ejus nomine Andronicus, impius et scelestus tyrannus, qui primitus a Manuele de regno Graeciae fuerat profugatus, hicque auxilio Turcorum et aliarum gentium imperium constantinopolitanum invasit, regeque puero et tutoribus suis occisis ac germana ipsius regis Alexii Maria cum suo marito, marchionis Reinheri de monte ferrato filio, veneno extinctis, ipse sex pene annis tyrannidem in Graecia exercuit. Sub eo denique imperium Graeciae multimodis est laceratum, dum rex Ungariae aliique plures principes partes contiguas de terra ejus sibi vendicabant et exercitus regis Apuliae maritimas Graeciae civitates vastabat. Qui etiam Andronicus crudelitate seu invidia ductus dum omnes pene regni sui principes ad interficiendum

perquireret, contigit, ut quemdam Ysaakium principem nobilem quidem, sed pauperem cujusdam Andronici alterius dolo vocatum occidere intenderet. At ille praemonitus, cum aliis conjuratis principibus et militibus irruit in eum et plagis cruentatum cameloque turpiter impositum per totam circumduxit civitatem omni populo lapides et lutum congestum in eum jacientibus sicque ad portum maris ductus et decollatus incidit miser in foveam, quam paraverat. Peremptor itaque ejus Ysaakius Angelus imperium arripuit et in loco ejus regnavit, atque ad confirmandum regnum suum filiam Belae regis Ungariae, quae antea duci Syriae (leg. Styriae) Atakiro erat desponsata, in matrimonium accepit, atque exercitum Apuliae proditione quorumdam de ipso exercitu pecunia corruptorum, dolo circumventum penitus delevit. At cum regni Graecorum vires de die in diem pessumdabant et juxta veritatis testimonium: omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, quadrifarium regnum ipsum divisum omnimodis erat attenuatum et imminutum ipsis diebus, quibus illic transiebamus. In Cipro enim quidam de regio sanguine et ipse Ysaakius dictus regiam sibi dignitatem usurpabat; ultra mare Ellespontum, quod brachium S. Georii vulgo dicitur, circa Philadelphiam, quidam Theodorus rebellabat. Praeterea Bulgariae in maxima parte ac versus Danubium, quousque mare influit, quidam Kalopetrus Flachus et frater ejus Crassianus cum subditis Flachis tyrannizabat. In ea fluctuatione regni Graeciae praefati comites de Seruia et Crazzia eo tempore, quo exercitus crucis transmeabat, occasione

accepta partem Bulgariae suae ditioni subjugaverant; foedere inito cum Kalopetro adversus imperatorem constantinopolitanum, qui scilicet Kalopetrus dominum Imperatorem scriptis et nunciis officiose salutavit, debita reverentia et fidelis auxilii contra hostes sponsione majestati ejus inclinabat. Ea tempestate quidam princeps Graeciae Alexius nomine, patruelis Imperatoris constantinopolitani legatione transmissa dominum Imperatorem ex parte domini sui imperatoris simulatorie apud Nissam salutavit, bonum conductum ac mercatum per totam promittens Graeciam, si tamen pacificus ipsius esset et exercitus introitus, ducem quoque de Brandiez plurimum deliquisse, quod non fideliter ipsum conduxerit, et nullum sibi servitium juxta constitutum sibi a domino suo impenderit. Significavit etiam, se cum exercitu armatorum contra comites de Servia, regni Graeciae pervasores apud Straliz clusas illius terrae vias observare, idemque nullam adversus se vel Graecos suspicionem belli habendam, sed corde et corde locutus est, et mentitus est, quaecumque dixit, tam ipse, quam cancellarius Imperatoris Constantinopoleos.

Interea cum apud praescriptam Nissam militia Christi usque in quadriduum feriaretur, dominus Imperator pacis et veritatis sectator, videns servientes ac pueros exercitus in rapinis districtius inhibitis occasione pabuli colligendi paulatim insolescere et legum sancita pro pace ad Graecos observanda violare, habito cum principibus consilio et convocatis militum alis per episcopum Wierzpurgensem discretum virum et eloquentem, omnes constanter redargu-

it pro transgressione jurisjurandi et pacis violatione, in frumento seu mellis et leguminum per singulorum pueros facta rapina. Qui episcopus inter cetera hoc sermone exorsus est: pollutus est populus anathemate, non ero cum eis, nisi mundentur, illud videlicet innuens et proponens de anathemate furti ierichontini Achaz, quando unius peccato universus populus corruit. Itaque domino aspirante ipso sermone per milites specialiter redargutos omnium generaliter servientium, quae nuper excreverat, non modicum sopita est insolentia. Prudenti deinde in futurum circumspectione exercitum per turmas divisit, ne quandoque hostis superveniens inparatos et exordinatos milites Christi inveniret. Et primam quidem instituit aciem filii sui Friderici illustris ducis Sueviae et cum eo Ratisponensis episcopi Chunradi et marchionis de Uoburch Bertholdi itemque marchionis de Padin Hermanni militiam et V. comitum ex Suevia et IV. comitum ex Bawaria, cujus aciei vexillarium placuit esse Bertholdum comitem de Neunburch. Secundam autem aciem Boemorum et Ungariorum, utraque gente proprium habente signiferum. Tertiam aciem egregii ducis Dalmatiae Pertholdi et VI. episcoporum venerabilium, scilicet Wierzpurgensis, ejusdemque ducis orientalis Franconiae Gotfridi, Leodicensis Rudolfi, Pataviensis Diepoldi, Basiliensis Heinrici, Monasteriensis Hermanni, Osinburgensis Arnoldi, cujus vexillarius designatus est dux Meraniae et Wierzpurgensis episcopi specialiter Poppo comes videlicet de Henniberch. Quartam praeterea constituit suimet imperialem aciem, in qua erat archiepiscopus

Tarentasianus et episcopus Missinensis et comes de Hollant cum germano suo et alii circiter XVI comites ac reliquum robur exercitus, cujus signifer electus est Rutpertus comes de Nassowe in bellicis rebus exercitatus et manu promptus, qui tamen adhuc in captivitate apud Constantinopolim cum aliis nunciis domini imperatoris detinebatur. Quinta postmodum acies apud Phillippolim instituta est peditum et fortiorum e pueris exercitus. His ita dispositis castra dei de Nisa promoverunt et amicis nostris comitibus magnis de Servia vale facientes per asperas et duras vias silvarum progrediebamur et rediviva insidiarum et incursionum fortioraque certamina ab hostibus Graecis et Flachis incurrimus, sicut ab imperatore Graecorum Ysaakio procuratum dinoscitur, et in rapinis rerum et occisione pabulariorum non modicum sustinuimus detrimentum. Nam iterum quidam latrunculi sagittarii secus stratam publicam in condensis veprium latitantes ex improviso sagittis toxicatis plerosque ex nostris inermes et minus caute incedentes affligere non cessarunt, donec maturiori consilio balistariis et militibus vallati et sic flagrante maleficio deprehensi condignas meritis poenas suspendiis exsolverunt. Contigit denique ut episcopum Pataviensem et ejus consanguineum ducem Meraniae, cum sarcinis suis armata manu ob eam necessitatem euntes, idem latrunculi repente invaderent, quos illi statim viriliter exceptos magna ultra XLa caede prostraverunt, e quibus XXIV uno in patibulo vidimus e pedibus deorsum lupino more suspensos. Fridericus quoque advocatus de Perge in persequendis ejuscemodi latrunculis constantis-

simus, quendam in summitate cujusdam arboris nostros ad sagittandum inhaerere conspicatus, debita talione sagitta de arbore propulsans, arbori, cui prius minus firmiter inhaeserat, firmo suspendio appendit; alios nichilominus VII simili poena ad terrorem aliorum turpi suspendio delevit. Illustris etiam dux Sueviae, qui patrem imperatorem cum suis agminibus Sueviorum scilicet et Bawariorum praeibat, antiqua juris institutione, qua Suevi seu Alamanni et Bawarii, qui et Norici, in omni publico bello primi propugnatores, in acie filii hostiles semper impetus debent excipere, perplures e Bulgaris latrunculos conprehensos ignominiose enecavit. Praeterea comitem de Sein cum suis ob viarum miram difficultatem Imperatorem praecedentem, dum insilirent, ipseque illos similiter constanter resistendo prosterneret, ita ut XII ex eis in momento caderent, accidit ut quidam miles aeger admodum, qui in basterna jam diu portabatur, prorumpentibus latrunculis animo receptis viribus, juxta illud: justus ut leo confidit, de lecto audacter prosiliret et viriliter pugnans unum ex eis in ore gladii daret, ceteros in fugam verteret, moxque illis fuga dispersis iterum lecto recidivo dolore decumberet. Ejusmodi certamina indies agitabantur et erumpentes hostes Graeci a nostris gladiis cominus, et balistis eminus excepti horribili caede proturbabantur. Nichilominus residui malefactores ex latere per devexa montium nos per totum Bulgariae nemus prosequentes nocturnis rapinis molestaverunt, quamvis innumeris tormentorum generibus ab exercitu nostro miserabiliter sint afflicti. In ea via venerabilis in Chri-

sto, Abbas agmundensis Isinricus, vir morum probitate, operibus misericordiae, ac religiosae vitae ab ineunte aetate praeconiis merito commendandus IV. Idus Augusti in bona confessione et divinarum laudum ymnizatione migravit ad dominum, sequentique die secus viam tritam communi sepultura peregrinorum a reverendo Mihsinensi episcopo Martino honorabiliter est sepultus, de quo non immerito illud sapientis possumus protestari: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius, quem videlicet dominus de medio iniquitatum rapuit, antequam in exercitu Christi tum necessitatis causa, tum in quibusdam avaritiae cupidine, generalis per omnes praedandi abusio subrepsisset et antequam caritas multorum post aliquod temporis refriguisset.

Itaque postquam a Nisa moveramus XIIII die, hoc est idus Augusti ad Straliz oppidum pervenimus, quod vacuum et omni solatio humanae indigentiae destitutum invenimus, tuncque liquido et perjuria graeci Imperatoris et suorum ceperunt patescere. Promissum denique sub juramento forum atque concambium sub interminatione poenae jussit subtrahi perjurus Imperator et insuper eum occursum, quem tam cancellarius ejus, consanguineus graeci Imperatoris Sebaston Alexius domino Imperatori Romanorum, quam ipse dominus ejus dudum per literas promiserat, nullatenus exhibuerunt, sed et forum nullum invenimus, nisi quod omni conamine modisque omnibus foderunt foveam animae nostrae, arcta quoque viarum succisis arboribus et saxis mirae quantitatis obvolutis jussu Imperatoris praecluserant, et anti-

quas clausuras Sti. Basilii in berfredis et propugnaculis renovando, contra honorem dei, in excidium peregrinorum Christi communierant. Nostri vero coelesti suffulti praesidio ignem machinamentis Graecorum apponentes saxa cum roboribus in favillam et cinerem redegerunt. Postquam a Straliz promovendo insequenti die castra metati sumus, novo tunc peregrinorum nostrorum adventu fuimus exhilarati, qui per Ungariam et Bulgariam grandi labore nos e vestigio subsecuti tunc primo supervenerunt, scilicet episcopus Tullensis Heinricus et Gutbertus nobilis de Aspirmont et aliorum electorum caterva militum, quos tam Imperator, quam omnis vivificae crucis exercitus magno tripudio susceperunt. Exin manu forti procedentes tandem ad clausas ultimas et firmissimas Bulgariae dolosis Graecorum artificiis, ut praedictum est, praestructas vias devenimus, ubi dominus Imperator audiens Graecorum exercitum introitum nostrum in campestribus Graeciae observare, assumptis equitum armatorum alis, parte exercitus in castris relicta, clusas transivit, gloriosae pugnae compendio impedimenta quaelibet a Graecis intentata sapienter volens decidere, sed illi retro abierant, et terga per fugam verterant imperatoriae majestati ac tironibus Christi deferentes, de cetero nusquam nostrorum ausi expectare adventum.

Ipsa die reversus Imperator transitum nostrorum per clusas conpetenter ordinavit; igitur XIII. Kal. Sept. clusas illas multiplices et perosas succensis machinis Graecorum exivimus, VI. ebdomatibus in Bulgaria de Brandiez transmensis, et reperimus terram planam vinetis et omnibus bonis abundantem Circuiz dic-

tam, in qua sicut fessus umbra, fonte sitiens, ita omnis inopia exercitus per divinam gratiam est relevata. Nona K. Sept. scilicet in festivo die beati Bartholomaei ad civitatem Philippolim accedentes, tam natura loci, quam opere artificis munitissimam, inibique castra metantes vacuam eam et a Graecis nostrorum timore derelictam invenimus. Sequenti die literas Graeci Imperatoris Ysaakii, fastu et arrogantia plenas ac transitum nobis penitus denegantes, dominus Imperator solita suscepit modestia, omnimodam humilitatem illius infronitae superbiae opponens, tuncque primo de captivitate venerabilium nunciorum suorum Monasteriensis videlicet episcopi et sociorum suorum liquido est certificatus, quos denique pro bono pacis et amicitiae ad se missos Imperator Ysaakius novo et inaudito scelere ac praeter jus et consuetudinem omnium nationum tam christianae religioni militantium, quam et barbararum, rebus et bonis suis nudatos et diversis afflictos contumeliis carceri mancipaverat ad ignominiam Crucis exercitus et totius Christianitatis, hanc amico et foederato suo Salahdino Sarraceno inimico crucis et omnium Christianorum volens praestare gratiam. Quamobrem plurimum omnis infremuit exercitus et bona Graecorum ex tunc libere diripiebat, reliqua pessumdabat. Septima K. Sept. Philippolim tanquam a Deo nobis destinatam summa cum alacritate intrantes plura exercitui commoda in ea reperimus, et quia transitus per mare a graeco Imperatore fuerat denegatus, ipsam interim velut propriam et domesticam incolere coepimus, vindemiam terrae illius colligentes et exprimentes et fruges ex

mam prorsus desertam quasi pro derelicto occupavimus, et ecce die sequenti literas magno fastu ab Imperatore Constantinop. accepimus, quae pariter minas, blandimenta et dolos concinnabant. Tunc autem primo de captivitate Legatorum nostrorum Monasteriensis videlicet Episcopi, Comitis Ruberti, Marquardi Camerarii ad plenum sumus certificati, quos saepe dictus Imperator, dum adhuc in Hungaria essemus constituti, in contumeliam Creatoris et Crucis scandalum, cui militabant, jussit captivari, et famae suae minus consulens, contra jus universarum nationum et Legatorum ignominiose nudatos in carcerem jussit detrudi. Talibus auditis universus crucis exercitus infremuit, et postmodum civitates, castella, vicos depopulari atque occupare non cessavit, quoad usque Imperator Magnificentiae nostrae Legatos cum magno honore ad nos redituros literarum tenore nobis significavit.

Tandem vero post multas legationes atque legatorum ambages dolum, quem jam dudum contra nostram benignitatam conceperat, in hyemis asperitate transitum nostrum prorogans, artificiose porrexit, sicque legatis nostris tanquam rebus bene gestis ad nostram Majestatem remissis de ipsorum pecunia plusquam duo millia marcarum detinuit, iterato promittens transitum securum, navium abundantiam, forum bonum, concambium consuetum. Verum quia vulgari proverbio dicitur, u s t u s t i m e t u r i, Graecorum juramentis et simulationibus nullam prorsus habentes fidem apud Philippolim hyemare decrevimus. Filius vero noster Dux Sueviae, frater suae Sublimitatis, moram facturus est in

alia civitate, Veroi nomine, cum magna exercitus parte, quae distat a Philippoli per decem miliaria terrae nostrae, donec hyemalis aurae inclementiam vernalis pellat temperies. Quoniam igitur impossibilis est transitus noster per brachium S. Georii, nisi ab Imperatore Constantinop. electissimos atque omni exceptione majores obtineamus obsides, et totam Romaniam nostro subjiciamus imperio, Regiae nobilitatis tuae commonentes rogamus clementiam, quatenus idoneos Serenitatis tuae legatos Januam, Venetias, Anchonam, atque Pisam et ad alia loca pro Galiarum atque fiscellarum transmittas praesidio, ut Constantinopoli circa Martium nobis occurrentes ipsi per mare, nos vero per terram civitatem oppugnemus. Praeterea regiam commonemus discretionem, quatenus extantem pecuniam, quae nobis in variis locis debetur, consilio Cancellarii et H. et Wernheri de Bolant, et Richolfi notarii nostri, instanter congregari facias atque in domum Bernhardi Venetiani hospitis nostri deponi facias, et sic consilio prudentum usque in Tyrum transducatur. Quia scias plurimum nobis fore necessariam, propter inopinatam quam facturi sumus moram, praesertim cum pecuniam de Anchona et etiam aliis plerisque locis scilicet Meti, Bremae et a comite de Hanau non accepimus. Quamvis autem electissimorum militum in obsequio vivificae crucis habeamus copiam, tamen orationum instantia ad divinum recurrendum est subsidium, quia Rex non salvatur per multam virtutem, sed per aeterni Regis gratiam, singulorum merita excedentem. Itaque regiam affectuose rogamus benignitatem, quatenus apud religiosas Imperii

nostri personas, summae devotionis studio obtineas, ut jugi vigilantia pro nobis ad Deum fundant orationes. Consulimus etiam discretioni tuae in Christo exhortantes, ut judicium arripiat manus regia et in malefactores regiae dignitatis zelus exardescat, profecto quia per haec gratiam consequeris Dei et favorem populi; adhuc Domino Papae scribere non ommittas, quod aliquos religiosos per diversas provincias destinet, qui populum Dei contra inimicos crucis exhortentur, praecipue autem contra Graecos, quia praesentibus legatis nostris Monasteriensi Episcopo et ipsius collegis in Ecclesia S. Sophiae Patriarcha Constantinopolitanus publice praedicavit, quod quicumque graecus C. peregrinos occideret, si decem graecorum reatum incurrisset, indulgentiam consequetur a Domino. Domum insulariam Siniberci et Nuwemagen perfici facias, et optime custodiri, quia perutile judicamus. Plus quam C. peregrinos amisimus, qui morte propria migrarunt ad Dominum, maximum damnum in equis sustinuimus. Multi de peregrinis imperii nostri Constantinopoli captivi tenentur tam de provincia, quam de Sosat, qui obviam nobis illo venerant. Apud Philippolim jam XII hebdomadas complevimus. Usque Constantinopolim a Philippoli usque Vinipopolim non invenitur civitatis vel castri habitator.

In eo temporis spatio Fridericus illustris Dux Sveviae audiens exercitum Graecorum per tria fere miliaria a nobis commorantem, non quidem publico bello nos appetentem, sed latenter nostrorum exercitum observantem, assumptis electissimis militibus de nocte consur-

gens, summo diluculo statuit in eos bellica manu irruere, fecissetque votis satis, si non illi praemoniti, mortis discrimen celeri fuga utcumque evitassent; e castris namque ipsos per fugam prorumpentes nostri e latere insilientes lethalibus vulneribus sauciaverunt, quorum statim plus quam quinquaginta ceciderunt unacum signifero suo, reliquos optata fuga mortis exemit periculo. Post eam victoriam rursus ex definito consilio Domini Imperatoris gloriosus Dux unacum consanguineo suo Bertholdo Duce Meraniae majori parte exercitus electa, civitatem opulentissimam Veroy dictam, et a paganis et Turcis tributariis Constantinopolitanis possessam destinatus est expugnare. Dumque portae civitatis die quadam Martis appropinquaret, et milites per turmas ad congressionem hostium sive ad expugnationem civitatis ordinaret, ecce conspiciunt hostes armatos pro portis nostros observantes, quasi magni aliquid facturos, et optatae pugnae conflictum nostris exhibituros, sed longe aliter, statim ad strepitum servientium et puerorum militarium, cum clamore in eos subito irruentium, turpiter terga dederunt et per aliam portam civitatis montana conscendentes salutem sibi conquisierunt. Nostri civitate potiti, frumentum et ordeum, farinam et vinum, boves et oves abundantissime capesserunt, diversarumque copiam vestium pene usque ad fastidium collegerunt, et per IV dies inibi considentes ad nostros onusti praeda sunt reversi. Marschallus nichilominus Imperatoris Henricus de Challintin vir strenuus in bello, impiger vero in otio, castellum munitissimum ac famosum Sebention dictum, super

quod et claustrum monachorum erat situm, civibus ad deditionem inopinatam coactis, dominio Imperatoriae Majestatis subjecit, custodiam militarem in eo collocavit. Abbatem praeterea Coenobii ejusdem ex Hibernia ortum ad Imperatorem adduxit, quem deinceps Dominus Imperator familiariter penes se, et in spatio cum honore studuit tractare. Pataviensis quoque Episcopus, Ducisque Meraniae Mareschallus, socius Domini sui, militari agmine civitatem quamdam bándouey dictam bello aggressus est; cives vero cum nostris acriter congredientes, aliquamdiu pugnando restiterunt, sed tandem more solito terga dantes, et in urbem se conferentes, lapidum ictibus et sagittarum jaculis nostros a muris obruebant. Nostri urbem obsidione cingunt, et nuntium ad Dominum suum Ducem super auxilio conferendo dirigunt, sed priusquam illi advenirent, cives desperatione ducti urbem dederunt, opibus confertam, vita tantum donati nostris reliquerunt. Similiter urbs pernis dicta, firma admodum, nostrorum se arbitrio dedit. Ita in brevi tres, quas praediximus civitates, etiam decem circiter castella, cum omni circumjacentium regione obtinuit Christi ac S. Crucis exercitus. Igitur Armeni et quidam ex Bulgaris, qui partem terrae illius sub tributo incolebant, Dominum Imperatorem et Principes exercitus adeuntes, cum omni humilitate, magnaque precum instantia, praestito quoque fidelitatis ac subjectionis sacramento, pacem firmam sibi suisque vicis impetrarunt, eo pacto, ut forum rerum venalium apud Philippolim exercitui, quamdiu ibi con-

sisteret, praepararent, quod et illi fideliter perfecerunt.

Interea Serenissimus Imperator, ut fidelis et prudens familiae Domini dispensator de statns SS. Crucis exercitus in dies sollicitus, praefecit eidem Pentarchos seu quinquagenarios Magistros militum, ut videlicet universi, in suis societatibus per quinquagenos divisi, singulis regerentur Magistris, sive in bellicis negotiis, sive in disceptationum controversiis, salvo jure Marschalli aulae Imperialis, sexaginta quoque meliores ac prudentiores de exercitu delegit, quorum consilio et arbitrio cuncta exercitus negotia perficerentur, qui tamen postea, solertioris cautelae dipensatione et certi causa mysterii pauciori numero designati XVI de LX sunt effecti.

Dum haec agitantur saepe dictus Imper. de captivitate illustrium nuntiorum suorum anxius, dissimulata pro tempore Graeci Imperatoris fastuosa et Romano Imperio admodum indigna legatione ac dolosa versutia, binos discretos nuntios, scilicet Wernerhum Canonicum S. Victoris Moguntiae et discretum Godefridum militem rursus transmisit Constantinopolim, fide prius accepta a quibusdam Graecis Principibus securitatis viae eorumdem, qui videlicet nuntii super objectis a Constantinopolitano Imperatore Domino nostro Rom. Imperatori congrue satisfecerunt. Scilicet quod Comiti de Servia adversario Graeciae, qui nobis apud Nisam Bulgariae occurrerat, nunquam vel Bulgariam vel aliquam terram ditionis Graecorum in beneficio dedisset, nec cum aliquo Regum aut Principum adversus regnum Graeciae conspirasset, quas

denique occasiones seu cavillationes, ad excusandas excusationes in peccatis et ad velandam nequitiam suam, ac fraudulentam captivationem innocentum nuntiorum Imperatoris et exercitus Christi, versipellis ille adversus nos excogitaverat. Praescripti ergo nuntii in mandatis acceperunt, ut ad memoriam reducerent Graecorum Imperatori Isaacio Sacramentum a Cancellario suo ex parte ipsius apud Niermberg Domino Imperatori Rom. et exercitui Christi confirmatum pro securitate viae ac transfretationis ejusdem gloriosi exercitus, qualiter hoc, inquam, ab ipso esset omnibus modis violatum, inauditumque a seculis facinus vinculationis legatorum suorum, ut scilicet in his omnibus famae et honori suo, saluti ac quieti regni sui consuleret. Duobus itaque istis secundariis nuntiis, non modo per longum tempus usque ad desperationem reditus ipsorum retentis, tandem post multas ambages, et dolosa figmenta literarum et nuntiorum ex parte Graecorum praeoptatos diu nuntios, Episcopum videlicet Monasteriensem, Hermannum et caeteros praescriptos cum aliis electis militibus a vinculis absolutos cum duobus secundis legatis per divinam potentiam recepimus, qui et cum ingenti totius exercitus gaudio et solemni omnium occursu Quint. Kal. Novemb. apud Philippolim nobis sunt associati. O! quantas lacrymas ibi magnitudo laetitiae fuderat! quam plurimi voce, plures corde illud evangelicum ingeminabant: Oportet te fili gaudere, quia frater tuus mortuus fuit et revixit et inventus est. Ipse quoque Imperator a lacrymis continere non poterat, dum exoptatos etiam pernecessarios in Christi

exercitu viros, a mortis nexibus et luporum faucibus praereptos praeter spem receperat. Venerunt autem et cum eis honoratiores Graecorum, scilicet Cancellarius Imperatoris Constantinop. et alii quatuor Proceres, quos Graeci Sebastos soliti sunt nuncupare, transmissi a Domino suo, qui tanquam rebus omnibus bene gestis, transitum per Hellespontum et promissum diu forum et justum concambium in instanti praeparatum in dolo pollicebantur. Subdolus enim Graecus Imper. transitum peregrinorum Christi in asperitatem hiemis, tripliciter nobis velut ignaris et improvidis insidias nobis per Turcas et Cumanos suos praeparaverat, ut quasi penuria navium cogente, exercitus noster in transmeando, diutius hac vel illac, id est ex utraque parte brachii S. Georgii bello invaderetur, itemque in mari remigantes Galeis eorumdem hostium circumventi neci darentur. Est autem hoc mare proponticum, quod ab incolis dicitur brachium S. Georii inter Seston et Abydon et a nota fabula Frixi et Elles, Ellespontieum mare et dicitur et proponticum, quasi ante ponticum, eo quod a pontico mari, ut ajunt historiographi, duorum maximorum fluviorum, Tanais videlicet et Danubii impetu propulsum, quasi tenuiter fluens et tarde in Adriatico seu Tyrreno mari juxta antiquam Trojam recipiatur, in transitu isto tendiculas suae fraudis sunt nobis moliti. Verum quia frustra jacitur rete ante oculos pennatorum et juxta vulgare proverbium: Ustus timet uri, doli Graecorum tam per nuntios nostros saepefatos quam per Armenos fideliores victoriosissimo Imperatori multis indiciis significati non nos latebant, ideo-

que dolosis figmentis eorum prudens Imperator fidem adhuc minime adhibebat, nisi certis etiam electissimis obsidibus datis ad fidem roboraretur.

Secunda die festivi reditus nuntiorum desideratorum, scilicet IV Kal. Novembris, coadunatis Principibus et clero ac militibus recitabant iidem nuntii miserabilem tragoediam suae ignominiosae captivitatis, despoliationis, famis, illusionis, et multimodae insultationis, et, qualiter Graecus Imperator super dolorem vulnerum ipsorum adjiciens, equos emissarios, quos meliores habebat, nuntiis Saladini Saraceni dono dederit, quos etiam illi ostendentes, et hac illaque gyrantes super cervices eorum insultando reflectebant. Referebant praeterea, qualiter Patriarcha Constantinop. pseudoapostolus tunc temporis Graecorum, festis diebus in declamatione ad populum, peregrinos Christi canes nominaret, et quia solitus fuerat praedicare, quicumque Graecorum reatum homicidii decem virorum incurrisset, si centum peregrinos occidisset, a reatu priorum homicidiorum et omnium delictorum suorum liber esset et absolutus. His ita lugubriter recitatis, Legati Graecorum admissi sunt, inter quos Cancellarius Imperatoris praemissa solita salutatione protulit epistolam plenam fallaciis et dolis, in qua quidem fori apparatus et transitus per Hellespontum inter Abydon et Siston civitates exercitui Christi verbotenus promittebantur, sed in ore eorum non erat veritas, ideoque virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.

In fronte novae salutationis ipsius epistolae omnium audientium aures non mediocriter of-

fendit. Denique solito fastu idem Graeculus se mendose Imperatorem Romanorum, ipsum vero Dominum nostrum Serenissimum Augustum, non Imperatorem Romanorum, sed Regem tantum Alemaniae nuncupabat; qua epistola recitata et exposita, Dominus Imperator divina se illustrante gratia ulterius dissimulare non valens temerarium fastum Regis et usurpantem vocabulum falsi Imperatoris Romanorum, haec inter caetera exorsus est: Omnibus, qui sanae mentis sunt, constat, quia unus est Monarchus Imperator Romanorum, sicut et unus est Pater universitatis, Pontifex videlicet Romanus, ideoque cum ego Romani Imperii Sceptrum plus quam per annos XXX absque omnium Regum vel Principum contradictione tranquille tenuerim, et in Romana Urbe a Summo Pontifice Imperali benedictione unctus sim et sublimatus, quia denique Monarchiam praedecessores mei Imperatores Romanorum plusquam per CCCC annos etiam gloriose transmiserint, utpote a Constantinopolitana urbe ad pristinam sedem imperii, caput orbis Romam, acclamatione Romanorum et Principum Imperii, auctoritate quoque Summi Pontificis, et S. Catholicae Ecclesiae translatam, propter tardum et infructuosum Constantinop. Imperatoris auxilium contra Tyrannos Ecclesiae, mirandum est admodum, cur frater meus Dominus vester Constantinop. Imperator usurpet inefficax sibi idem vocabulum et glorietur stulte alieno sibi prorsus honore, cum liquido noverit me et nomine dici et re esse Fridericum Rom. Imperatorem semper Augustum. Praeterea fraternae dilectionis societate me salutat, cum prorsus a fraterna fide et christianae pietatis reli-

gione semetipsum excluserit, qui nuntios meos fideles et nobiles viros ac Christi peregrinos et S. crucis charactere insignitos, absque omni culpa rebus suis spoliatos captivavit et incarceravit, fame afflixit, et diversis contumeliis affecit. Nisi ergo ablata nuntiis meis restituerit, et pro illata sine causa injuria congrue satisfecerit, et nisi in epistolis suis debita reverentia me nomine Romani Imperatoris salutaverit, et electissimis obsidibus fidem nobis fecerit justi fori et concambii ac fidi transitus per mare, quod brachium S. Georii dicitur, nullatenus de caetero vel nuntios vel epistolas ad nos dirigere praesumat. Nos vero divina fretos gratia procul dubio noverit, viam ferro facturos. Neque hoc silebo, neque dissimulabo, quod idem Dominus vester stulta elatione priore sua legatione gratiam suam mihi demandaverit, cum ego, teste omni mundo, nullius quidem hominum, sed solius Dei omnipotentis gratia indigeam, et bonorum hominum apud Dominum intercessionibus.

Cumque nuntii ad objecta minime se sufficere respondere assererent et per varias ambages et incertas promissiones animum Imperatoris temptarent illudere, nec perficerent, sub tenore praescriptae responsionis imperialis, inefficaciter ad sua sunt reversi.

Ipso vero sermone vel responso suo Dominus Imperator Constantinopol. Imperatorem aliquantum correxit, ut cum in prima epistola sua idem graecus Imperator Dominum nostrum Romanorum Augustum, Regem tantum Alemaniae vocare praesumpserit, in secunda epistola generosissimum Imperatorem Alemaniae, ac de-

mum in tertia et deinceps nobilissimum Imperatorem antiquae Romae scripserit, ut infra in rescripto salutationis epistolae ipsius perspicuum est cernere: Ysaakius in Christo, fidelis, divinitus coronatus, sublimis, potens, excelsus, haeres coronae magni Constantini et moderator Romeon Angelus;

Nobilissimo Imperatori antiquae Romae, Regi Alemaniae et dilecto fratri Imperii sui, salutem et fraternam affectionem et dilectionem etc.

Interea cum definito consilio a Philippoli pararemus promovere, nuntius Regis Hungariae cum epistola venit ad Imperatorem, in qua quidem quisque tacite poterat advertere, quia idem Rex minus quidem Domino Imperatori fautor, sed instigator esset indefessus ad nostri omnium perniciem, minus etiam perpendens, quod et in Christi exercitu nobilissimum haberet generum scilicet Illustrem Ducem Sueviae, virtutum ac probitatum insignibus egregie decoratum. Petebat autem memoratus Rex in epistola sua, ut quam minime nobis liceret progredi, omnibus Ungaris, qui nobiscum essent Christi signati cruce, licentia redeundi ad propria non denegaretur, quasi illis recedentibus infirmior redderetur Christi et S. Crucis exercitus, cum nos ex eorum postmodum recessu nullam senserimus jacturam. Cujus verbi responsum distulit interim Dominus Imperator, quia occupatus erat in dispositione egressus nostri a Philippoli et statu ejusdem civitatis, ne si omnibus abeuntibus vacua omnino relinqueretur, ab hostibus iterum possideretur, essetque illis praesidio, nobis autem in Satan et damnum. Delecti sunt ergo de

exercitu ad custodiendam civitatem quinque Episcopi, cum suis omnibus, scilicet Episcopus Leucori, Archiepiscopus Tarentasianus, Episcopus Leodicensis, Episcopus Patavinus, Episcopus Monasteriensis, et alii egregii milites cum electa militia, relictis quoque ibi ex magna parte oneribus sarcinarum et shipendiorum exercitus. His ita ordinatis Nonis Novembris eximus Philippoli et versus Adrianopolim iter arripuimus, in cujus confiniis iterum exercitus Graecorum adunatus consistebat, et tertia die venimus ad oppidum Blisimos, ubi per VII dies morati sumus, quia Dominus Imperator reversus interim cum paucis Philippolim secretiora quaedam communicavit Principibus, quos ad custodiam civitatis dereliquerat. Cum inde morose procedimus, et jam non multum ab Adrianopoli distaremus, communi consilio agmen Ungarorum in patriam, proh dolor! retroire anhelantium, et ollas carnium Aegypti, unde recesserunt, desiderantium, ad patriam et Dominum suum Regem reverti permisit Dominus imperator. Tribus igitur tantum Comitibus vel Baronibus Ungaris cum sociis suis nobiscum remanentibus, sex Comites cum omnibus aliis et cum Episcopo Jazarensi retro reversi sunt ad propria XIII Kal. Decembris, cum quibus Dominus Imperator binos nuntios transmisit, alterum quidem ad filium suum Illustrem Regem Romanorum et Principes Imperii, qui statum suum et exercitus eis significaret, et alterum ad Regem Ungariae direxit, dolos et fallacias generi ipsius Constantinop. videlicet Imperatoris, et e converso suimet et fratrum suorum omnium peregrinorum Christi innocentiam, ill

plenarie proponens, qui nuntii prospero itinere circa Nativitatem Domini, apud civitatem Ungariae, quae teutonice Czilnburg dicitur, ad Regem Ungariae pervenerunt. SS. Crucis exercitus Graecorum phalangas quaquaversum insequens, et per castra ipsorum deserta non nunquam transiens, dum usquam comparerent, Adrianopolim tetendimus, ad quam X Kal. Decemb. pervenientes, et item vacuam velut reperientes, ingressi cum gaudio inhabitare ipsam coepimus, et tempus hyemale in ea transegimus. Interim venerabilis Chunradus Ratisbonensis Episcopus duce quodam peregrino cive Ratisbonensi, Graecae linguae ac provinciae gnaro, urbem Perbaton dictam, armata manu Graecis aufugientibus occupavit, et abundantiam omnium necessariorum sibi ac sociis suis non segniter ibi conquisivit. Post haec praeelectus Dux Alemaniae et filius Imperatoris Timoticon urbem munitissimam a fortioribus et animosioribus Cumanis et Graecis possessam bellica virtute aggreditur, cujus dum cives fortissime resisterent, munimine loci viribus suis freti, nostrique non minus acriter instarent, Hugo quidam miles de Wormatia primus cum vexillo suo per quemdam difficillimum aditum murum civitatis conscendens, in hostes constanter ruit, quem signifer ducis, idemque Marschallus Diemarus nomine, caeterique milites porta civitatis viriliter effracta insecuti urbem potenter expugnaverunt VIII Kal. Decemb. licetque telis et missilibus plures sint sauciati, tres autem solummodo milites ex nostris ibi fuerunt occisi. Omnes autem, qui in ea reperti sunt, praeter parvulos et mulieres, in ore gladii

trucidati sunt, qui ultra mille et quingentos computati fuerunt. In praeda urbis quidam militum nostrorum tres equos suos recognovit, qui in Bulgaria sibi violentia praedonum ablati fuerunt.

Modo justo Dei judicio, justo bello debitoribus nostris digna factis reddidimus. Accidit ibi quoddam memorabile, quod silentio est nequaquam tegendum. Reperta est ibi olla ingens, juxta morem terrae vino plena, quod veneno atrocissimo erat fucatum, quod nostri, quotquot supervenerunt, dum ignari biberent, per divinam clementiam illaesi remanserunt, et alacriter sociis quoque ad bibendum obtulerunt. Cumque plebejorum quorumdam Graecorum risus dolosus notaretur, quasi finis jamjam nostris immineret exitialis, suspicionem nostri conceperunt veneni, et a quodam captivo veritatis recognito, cuidam irridentium poculum ejusdem vini porrexerunt. Qui cum hujusmodi potum cum horrore execraretur, multisque minis ad bibendum cogeretur, aperto ore vinum lethale gutturi ejus est violenter infusum. Mirum dictu, mox ut cibalia penetravit vinum illud nocivum, oculi ejusdem miseri vi veneni exilierunt, cadensque in terram semivivus est relictus, cum de eodem vino aliqui ex nostris inebriati fuissent. Pari modo dum dapifer et pincerna Imperatoris cum sociis suis occupassent castellum Nikiz dictum, quod cum omni circumjacente regione in toxici vel veneni confectione Constantinop. Imperatori servire dignoscitur, et a ductoribus, seu interpretibus Graecae linquae praemoniti essent, ut vinum terrae illius summopere vitarent propter conscientiam veneni, idque publico edicto promul-

gatum fuisset, pueri nihilo minus militum vel clericorum, solita freti constantia, imo Dei misericordia redditi intrepidi, vinum confidenter biberunt, dominisque suis postea obtulerunt, quo et illi tandem usi in nullo sunt laesi ejusdem veneni infusione, cumque ad comprobationem veritatis cuidam Graeco violenter illud infunderent, ille protinus in pallorem versus et spumans, ac oculos furiose regirans, morti proximus ab eis est derelictus. Cujus vel saxeum pectus in hoc facto non obstupescat. Ecce in decem plagis Aegypti, aquae Aegyptiae fuerunt Aegyptiis sanguis foeculentus, Hebraeis vero aquae limpidae ad potandum salubres, nunc etiam non minori miraculo vinum Graecorum, veneno infectum et nostris ad exitium procuratum, Graecis fuit exitiale, nobis vero poculum salutis.

Cognitum nunc fuit a nostris, quod ab introitu Bulgariae et deinceps venenum nobis saepius fuit procuratum, sed Dei clementia illud nobis mutatum in antidotum salutis.

Interea dum in medio hostium positi per aliquot hebdomadas certum nuncium de statu Graecorum et peregrinorum nostrorum apud Philippolim consistentium non audiremus, Dominus Imperator habito consilio delegit Ducem Dalmatiae Bertholfum et Comitem de Holland et Fridericum advocatum de Berge et alios quosdam praestantes milites cum mille ducentis armatis sociis a Philippoli, eos cum plaustris et somariis ad sarcinas nostras advehendas VII Idus Decembr. destinavit, tum ut socios nostros omnes illic relictos Adrianopolim usque secure secum cum omnibus suppellectilibus nostris

conducerent, ut scilicet adunato exercitu maturaretur consilium de processu itineris peregrinorum vivificae crucis, tum ut magno Comiti de Servia in introitu clausaram Bulgariae familiariter conquerenti, pro exercitu nobis in adjutorium adversus Constantinopolim transmittendo, si bellum ei forte indiceretur. Ante transmissorum igitur sociorum nostrorum adventum ad Philippolim Pataviensis Episcopi militare agmen apud B a c o n cum agminibus Graecorum congrediens, et plurimis eorum occisis, victoriose regrediens, dum incautius agitur et repente Graecorum insidiis nostri circumvenirentur, et quatuor quidem milites aliorum, sed XIIII ex nostris trucidantur. Mox ut Dux Dalmatiae et socii sui supervenerunt in ultionem sanguinis fraterni, horum cohortes Graecas requisierunt, quas item apud B a c o n coadunatas, et exinde ad Philippolim processuras, ut socios nostros inibi constitutos de terra delerent, cognoscentes, constanter irruerunt in eos et in congressione plusquam trecentos ex eis jugulaverunt. In regione G r a d h i c z dicta in manu forti visitantes invenerunt in picturis Ecclesiarum et aliarum aedium Graecos cervicibus peregrinorum insidentes, et more inimicorum eos infraenantes, quapropter nostri efferati Ecclesias quam aedes incenderunt, et perplures in ore gladii percusserunt, omnem etiam terram ipsam ingenti praeda vastaverunt. Praeterea huc Fridericus Advocatus de Berge cum sociis suis manu promptissimis militibus ulterius progrediens per ascensum cujusdam alpis ab hostibus praeclusae, saxaque insuper et jacula in eum devolventibus, devictis eisdem, in conflictu im-

perterritus invasit regionem opulentam, Flachiam dictam, non multum a Thessalonica distantem, in qua rebelles aliquot occidit abundantiamque necessariorum plus quam revehere sui potuissent, invenit, quam Episcopus Pataviensis et Dux Dalmatiae cum armata manu prosecuti, et ipsi suos terra capta ex praeda hostium onustaverunt.

Et dum exin procedere statuerunt, obviam habuerunt quemdam Juppanum vel Satrapam Bulgariae, qui quodam devictus milite in Bulgaria violentia latronum captivato Duci reddito pacem sibi terraeque suae ab ipso et ab Advocato impetravit. Praeterea Arnoldus de Hornberg, nobilis genere, sed animi constantia nobilior dum cum sedecim tantum armatis sociis egregiis, inter quos erat Leodicensis Germanus Comitis de Clawien vir mirae constantiae, comiti de Hollant praeparanti ad debellandas acies quasdam Graecorum et Cumanorum essent occursuri, subito ab iisdem hostibus plus quam trecentis equitibus circumvolati, dum nullum refugii locum viderent, cohortatu Arnoldi ut gloriosam mortem in praelio, quam turpem fugam eligerent sibi, crucis tropheum invocantes, mirum dictu, XVII cum trecentis pene hostibus acerrime congressi, et tribus eorum magnatibus occisis, tribus etiam ad terram prostratis et multis sauciatis, et sex equis eorum *) ablatis, reliquos omnes in fugam dextera domini faciente virtutem converterunt. Et haec quidem circa Philippolim gerebantur. Inter haec serenissimus Imperator licet longe superior esset in

*) A voce ablatis continuat Mstum coaevum.

tertia profectione cum militari manu versus nemus quoddam condensum et montana loci natura admodum munita, unde peregrini socii nostri non nunquam sagittarum imbre de abditis silvarum fugati, proh dolor! fuerant et rebus spoliati, aciem direxit; et nunc sagittis, nunc gladiis eorundem locorum incolas propulsans multorum e nostris arma ibi direpta recepit, praedamque non minimam secum revexit. In ea congressione sicut et in aliis Chunradus comes de Dornberch strenui militis et constantis officium exercuit. Postmodum eorundem montanorum et silvarum incolae nuntiis supplicibus ad Imperatorem transmissis, pacem de cetero sibi suisque poscebant, forum rerum venalium et contra insidiatores nostros jugе consilium et auxilium exercitui promittentes. Et in indicium quidem devotionis suae XVIII equos, qui apud eos ablati fuerant, domino Imperatori restituerunt. Cumque ob fori admodum necessarii promissionem dominus Imperator precibus eorum adquiescere decrevisset, misit ad eos pro securitate fori facienda abbatem quemdam Graecum de Adrianopoli cum quodam servo veredario imperiali, qui mox primae noctis conticinio ab hostibus supervenientibus deprehensi et membratim discerpti sicque omnes crudeliter sunt decollati. Quorum hostium signiferum incolae silvarum comprehensum patibulo suspenderunt, aliisque residuis insidias tetenderunt, nostris eos assignare volentes, ut per hos suspicionem mortis nuntiorum imperialium a se et a suis abolerent. Cum igitur propter subtracti fori rerum venalium et inhibitae nobis transfretationis necessitatem nostrorum erga

Graecos in dies incandesceret commotio, de praeda ipsorum hostium graecorum habundabat omnis exercitus, proindeque deliciae affluentes et continua otia vitiorum fomitem plerisque ministrabant, denique juxta illud poeticum: crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit, auaritia tunc in multorum cordibus ex rapinarum et homicidiorum insolentia regnabat et sub victualium comportandarum necessaria licentia generalis fere per omnes et plus quam necessaria praedandi abusio surrepserat, et ex inmoderato amore habendi caritas, et justitia pristina multorum e nostris tam apud Adrianopolim, quam apud Philippolim tepuerat et ea, quae prius in exercitu Christi vigebat fides et concordia subintrantibus avaritia et ejus filia invidia in multis jam claudicabat, nonnulli etiam plebejorum crapulati coeno luxuriae turpiter se inquinabant; super his tam pius Imperator, quam alii, quippe quorum corda timor dei possiderat, altius ingemiscebant et nuda fronte vitiosos incessanter reprehendebant. Erant etiam complures, qui spiritu Dei et zelo domus Dei, velut alter Finees, ducti fornicatores, quotquot comprehendebant, digno genere confusionis puniebant, quia videlicet publice nudatos tam viros quam mulierculas manibus post tergum vinctis et genitalibus fune injecto per totam circumducebant civitatem ad terrorum et emendationem aliorum et novissime in flumine praeterfluente in ipso hiemis algore ipsos aliquibus vicibus immergentes cum debita irrisione et subsannatione dimittebant. Post haec Constantinopolitanus Imperator post multas tergiversationum et litera-

rum ambages pro vastatione terrae suae et desolatione civitatum suarum sero poenitentia ductus, transmissis prioribus duobus legatis Panseuasto acholito, domino Eumathio Philocali et quodam Jacobo Pisano ad gloriosum Imperatorem et exercitum Christi, pacem expostulavit, forumque rerum venalium et navium in transitu Ellesponti copiam promisit et super hujus promissionis fide seu certitudine facienda obsides nobilissimos firmavit se daturum, qui legati in dominica LXXmae, id est in festo beatae virginis Agnae apud Adrianopolim imperatoriae majestatis conspectibus sunt praesentati; ipsa quoque die superveniens a Philippoli dux Dalmatiae legationem magni comitis Serviae domino Imperatori porrexit, ad cujus etiam collocutionem in introitu clusarum Bulgariae ex parte domini Imperatoris, quoniam quum prius facultas non aderat, semetipsum obtulit legatum et accepta legatione sequenti die versus Bulgariam est profectus; legatione vero Graecorum a domino Imperatore benigne suscepta et fide verbis adhibita, remissi sunt a serenitate ipsius cum ejusdem nuntiis Berchtoldus nobilis de Chunisperch, comes Tusciae et Marquardus dapifer de Anwilre, et Marquardus camerarius de Niwinburch, qui veritatem promissorum solerter indagarent et certitudine veritatis inventa, conditiones *) pacis plenariae componerent.

In diebus illis supervenit imperialis nuntius Eberhardus Clericus ab Hungaria, quo di-

*) Folium 13mum Msti desinit voce conditio, ob sequentia duo folia excisa. Quae a Syllaba n e s leguntur, e Transumto Raygradensei expressa sunt.

rectus fuerat ad Regem Belam, deferens literas commonitorias ipsius Regis transmissas ad generum suum constantinopolitanum Imperatorem super obstinatione illius, soli regno suo valde nociva et contraria, re autem vera turbabatur admodum et consternabatur super prosperitate victoriosa peregrinorum crucis et regni Graeciae vastatione, interim quod circa Tymoticon civitatis destructione audivisset, vultus illius esset immutatus erga ipsum nuntium et non erat sicut heri et nudius tertius, nec postea dabantur eidem expensae, ut primitus de domo Regis. Referebat praeterea idem nuntius rumores plures et gratiosos de terra nostra et de Principibus Imperii Teutonicorum et de obitu duorum regum Angliae videlicet Heinrici et Apuliae Wilhelmi, et quia illustris Rex Romanorum Henricus filius Friderici serenissimi Imperatoris regnum Apuliae [8]) haereditario jure uxoris suae reginae ditioni suae in instanti vendicasset, itemque, quod Rex Franciae Philippus, et Rex novus Angliae Richardus multique alii Principes crucis sanctae accepto signaculo iter nostrum nova expeditione essent subsecuturi. Rursus narrabat, quia in transitu suo per Bulgariam vidisset, proh dolor! omnium pene peregrinorum Christi inibi in via sepultorum corpora immani feritate seu vesana stultitia Bul-

8) Gerlactus in margine: Qua occasione rex Henricus cum copiis totius imperii proficiscitur primo Romam ad consecrationem, deinde in Apuliam, habens in comitatu suo Philippum coloniensem Archiepiscopum et Conradum ducem Boemiae.

garorum effossa ad ignominiam exercitus Christi, juxta illud davidicum: posuerunt mortalia servorum suorum etc. Praeter solius venerabilis Abbatis Fogmundensis virgineum revera corpus, quod mira virtute Dei manserat intactum. Interim agmina sociorum nostrorum a Philippoli cum omnibus suis sarcinis jussu imperiali recedentes, civitatem ipsam in odium Graecorum incendio penitus deleverunt, et in itinere nonnulli eorum ad civitatem Veroi divertentes, ipsam nihilo minus post praedae sufficientis collectionem flammis ultricibus dederunt et apud Constantiam diebus aliquot consederunt, quousque Dalmatiae Dux a colloquio magni comitis Serviae cum sociis suis reverteretur. Quem cum grandi labori et bello in Bulgaria intentum idem Dux condicto in loco non invenisset, nuntio ad eum directo et recepto reversus est ad socios suos apud Constantiam. Exinde igitur universi promoventes versus Adrianopolim et diverso quidem tempore ipsam intrantes, tandem in festo Beatae Virginis Agathae omnis insimul in ea exercitus Christi est adunatus. Ipso in tempore impigerrimus Dux Sueviae quarta profectione ab Adrianopoli progressus invasit civitatem Archadinopolim ab Archadio Imperatore constructam, quae vulgariter Argionopolis dicitur, quam item desertam bellatoribus, quam vitae necessariis invenimus, ubi tamen aliqui nostrorum vinum et frumentum invenerunt, quod ad suos reportaverunt. Igitur in sancta nocte purificationis S. Mariae omnibus, qui de glorioso Christi exercitu illo cum Duce iverant, visum est memorabile signum. Nam circa pri-

mam noctis vigiliam viderunt universi signum S. crucis sanguineo colore in magna quantitate diutius coruscare in aëre, unde plurimum omnes S. crucis signati et ministri jucundati Domino gratias retulerunt, et sonoris vocibus Kirie eleison et alios divinos cantus illa nocte laetabundi canebant. Cum autem postmodum nuntii imperiales a Constantinopoli fuissent regressi retulerunt, quod ipsa die, qua nocte praecedente signum exultabile visum fuerat, Imperator Constantinopolitanus ob gloriam Domini Imperatoris relaxavit omnes captivos, qui intra biennium vel quinquennium ibidem in captivitate miserabili tenebantur. Sequenti die impegerunt nostri in phalangas conductitii exercitus Constantinopolitani Imperatoris Blacorum et Cumanorum, cum quibus congressi duce absente in fugam eos inopinatam converterunt, paucis quidem e nostris, pluribus vero hostium captivatis, et vix XV nostrorum servientibus occisis, uno etiam milite Hugone de Fispach peremto; dux igitur hostium illustri duci Sueviae captivos e nostris remisit eo pacto, ut ex suis captivati similiter relaxarentur, quod et dux admisit, equos etiam in conflictu pugnae amissos hostis sponte remisit, suis equis retentis. Post eum conflictum duce Alemanniae Adrianopolim regrediente agmen Boëmorum ad bellum et praedam plus caeteris exercitatorum cum aliis nonnullis de exercitu vic um sibi necessarium queritantibus ad civitatem quandam maritimam accesserunt, in qua equos et mulos, vinum et frumentum, et quaeque concupiscibilia ad satietatem rapuerunt, et cum eis ad nostros repedarunt. Similiter paludem quamdam pene

inaccessibilem, in cujus sinum non parva multitudo hostium cum suis omnibus confugerant, Boëmi periculose invaserunt, et praedam celebrem exinde reportarunt. Rursus duobus cum agminibus nostri diversas in partes Graeciae funduntur, et unum quidem agmen, quod erat Episcopi Wirzpurgensis et Comitum de Salm et de Widin et de Spanheim, versus terram Blacorum duas civitates ab hostibus relictas et tertiam bellica manu cum multo sanguine ultra quinque millia occisorum expugnarunt. Una ipsarum civitatum incendio data est.

Alterum agmen Comitis de Abinberg et Friderici Advocati de Berge S. Crucis exercitus hostibus semper infestissimum in meridianam partem divertens, stragem hominum miserabilem dedit, praedamque copiosam revexit. His in fluctuationibus regni Graeciae nuntii Imperiales, Comes videlicet Bertholdus de Chunisberg et bini aequivoci Marquardi suprascripti, cum legatis prioribus Constantinopolitani Imperatoris Pansevasto et Jacobo tertio jam ad serenissimum Imperatorem transmissis, Adrianopolim XVI Kalend. Martii, i. e. in festo Beati Martyris Valentini supervenerunt, bonum nuntium portantes, scilicet foedera pacis et concordiae firma et vera inter gloriosum Imperatorem Romanorum et Constantinopolitanum Imperatorem gratulabundi bajulantes, cujus conjunctionis tenor hic erat:

„Imperator Constantinopolitanus omne damnum in rapinis rerum, in destructionibus civitatum, in mortibus hominum, cunctamque injuriam sibi inexplicabiliter illatam voluntarie pureque remisit, et in transitu Gallipolis et Sy-

stoy navium sufficientiam exhibebit, scilicet ad transfretationem gloriosi exercitus Christi et vivificae crucis, scilicet ascrias LXX et naves CL idoneas ad portandum equos sine periculo, et galeas XV; omnes cum universo apparatu earum, ut habeat ejusmodi galeas invictus Imperator in potestate sua, et dispenset cum eis custodiam exercitus sui secundum voluntatem suam, non facturus aliquod damnum in aliqua regione imperii Graeciae, aut impedimentum exhibiturus aliquibus navibus, Constantinopolim intrantibus. Et quod omnes galeae, quae ab Abydo usque ad Constantinopolim sunt, stabunt immotae in littoribus, et non navigabunt interim ad tollendam omnem doli suspicionem. Et quod terrestris exercitus Imperatoris Constantinopolitani separabitur ab exercitu Christi, et Romanorum Imperatoris spatio IV dierum; donec in terra Imperatoris Constantinopolitani deguerit. Et quod dabit glorioso Romanorum Imperatori Constantinopolitanus Imperator hic et in transitu civitates duas juxta littora ad requiem expeditionis ejus, non facturo laesionem vel damnum aliquod eisdem civitatibus vel habitatoribus eorum. Et super promissorum fide et certitudine habenda obsides lectissimos de sanguine regio XVIII gratiaque ducatus Domino Imperatori dabit Isaacius Imperator scilicet fratris filium imperii sui Joannis Angeli Dominum Andronicum et Judices sex, et de melioribus vulgi Constantinopoleos alios sex, reversuros sine laesione a praedicto transitu post transfretationem gloriosi Imperatoris et universi exercitus ejus. Praeterea Dominum Michaëlem filium patrui sui Sevo-

stratoris, Joannis Duca, et Dominum Michaelem filium alterius patrui ejus, Domini Alexii Angeli et Manuel consobrinum imperii ejus filium Stratovasilum, et Dominum Alexium, filium consobrini ejus protostratoris Manuel Camizi et tertium Manuel Sevaston Monomachii filium Uriennii Joseph, et Pansevaston Acolithon, Eumothium Philocalim, ut degant cum Domino Imperatore et ambulent cum eo, donec secure possit ambulare citra civitates Philadelphiae, inde reversuros sine laesione. Quodsi forte ex inverecundia incolarum victualia non potuerit exercitui praebere de signatus defensor Pansevaston, habebunt licentiam agmina exercitus facere in eos, quidquid voluerint, excepto quod non tradent alicui ethnico terram eorum. Indulget etiam Constantinopolis Imperator omnibus, qui secuti sunt serenissimum Imperatorem Romanorum, vel servierunt ei e Graecis, Armenis et Latinis, et quod habebunt gratiam imperii ejus plenam. Et quod argenti marca emetur quinque et dimidia et quod mutabitur yperperum pro staminis centum XX nulla differentia existente inter nova et vetera stamina Et quod fient exercitui bona mercata in praedicto transitu et ultra, sicut locus et tempus dederit, ut vendant ei justo pretio, et sicut debent vendere ipsi Isaacio Imperatori, si transiturus esset illic, et hoc fiet sine fraude et aliquo malo ingenio. Et quod faciet Imperator Constantinopolitanus de damno, quod habuerunt Constantinopoli rerum suarum Episcopus Monasteriensis et Comes Rupertus, sociique ipsorum, secundum consilium Domini Imperatoris Romanorum. Et quod juraverunt haec omnia intra templum Sanctissimae Dei Magnae Eccle-

siae ad Sanctam Sophiam, praesente universali Patriarcha Dosytheo, quingenti homines meliores civitatis et imperii. Et quod universalis Patriarcha exponet scriptum suum subscriptum ad confirmationem praesentis pacis. Et quod reddidit liberos Imperator Constantinopolis omnes captos et in terra et in mari homines Imperii Romani, ex quo tempore incepit guerra, sive peregrini fuerint sive mercatores. Haec ergo omnia eo pacto jurata et firmata sunt, ut infra XX dierum spatium victoriosus Imperator cum omni S. crucis exercitu ab Adrianopoli versus condictum transitum Ellesponti sine laesione et incendio civitatum et villarum quantocyus promoveret, haberetque liberam potestatem saepe fatus Christi exercitus absque omnium Graecorum inhibitione tollendi frumentum et ordeum et vinum usque ad transitum Ellesponti. Ab animalium solumodo et vestium superflua rapina et occisionibus suorum disisterent. In hujus denique rei certitudinem paee pura, et ad se et ad suos conservanda, Sacramentum quingentorum militum de exercitu Christi expostulatum, sicut apud Constantinopolim juraverunt, quod et solemni ordine apud Adrianopolim in praesentia legatorum ipsius celebratum est. Praeterea nuntius Soldani magni de Iconio Tokili nomine, prudens et discretus et juxta humanum judicium Dominum timens, cum nuntio Imperiali Gotfrido milite de Wisinbach primitus illo ab Illustrissimo Imperatore directo, praescripto die adventus nuntiorum Graecorum advenit, qui ambo in captivitate Constantinopolitani Imperatoris per octo septimanas misere detenti, rebusque suis fuerunt nudati. Hic itaque Sol-

danus in epistola sua, qua se maximum Dominum et rectorem Turcorum, Armeniorum, Syrorum nuncupabat, Dominum imperatorem affectuosissime salutavit et omnimodum consilium solatiumque et auxilium adversus quoslibet hostes, forumque optimum per terram ditionis suae compromisit. Munera vero, quae Domino Imperatori idem Soldanus transmiserat, a Constantinopolitano Imperatore nuntiis praedictis praescripta in guerra violenter ablata fuerant, pro qua re competentem satisfactionem praefatus promisit Imperator. Tertia posthac die supervenit Legatus Ethnicus, filii magni Soldani Melich dicti, qui scriptis suis ad strenuissimum Imperatorem directis, pariter suo affectu et fideli obsequio se successurum constanter affirmavit. Sed juxta illud sapientis nulla familiarior pestis ad nocendum et ad decipiendum fidelissimum Imperatorem et subvertendum innocentem exercitum Christianum, quam familiaris inimicus. Ille tales concinnabat dolos, quoniam astiterunt etc. adversus Dominum et adversus Christum et Christianum populum ejus, pro ipsius amore passionis exulantem. Post haec obsides graeci Imperatoris supra designati seu duces viae nostrae juxta promissum III Kalend. Martii die martis tertiae quadragesimalis hebdomadae Anno Dom. Incarnat. MCXC Adrianopolim Domino Imperatori transmissi venerunt et ab ipso benigne suscepti, deinceps quoque honorifice sunt tractati, in quorum deditione, sicut in aliis omnibus magnificavit Dominus populum suum et honoratum fecit, qui est benedictus in saecula saeculorum.

Advertat hic solers lector, quantum oculi Domini super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia ejus. Ecce ille tumidus paulo prius Constantinopolitanus Imperator, qui victoriosissimo Romanorum Imperatori semper Augusto scriptis suis admodum infrunitis gratiam suam fastuose demandaverat, et qui jurisjurandi transgressor vias nostras latrunculis sepserat, propter eaque super pacifici transitus nostri fide sibi facienda et commeatu navium praestando, obsides meliores e principibus exercitus superbe exegerat, legatis interim Serenissimi Imperatoris et exercitus in vincula conjectis, qui stulte gloriabatur reti suo omnes Christi peregrinos conclusos, ac navibus omnibus in mari longe abductis transitum vivificae crucis exercitui mendacibus et vanis occasionibus penitus denegaverat, post ingentem terrae suae vastationem et stragem inexecrabilem suorum, demisso solito fastu, fidi modo transitus apparatum et navium copiam cum caeteris pactis supra dictis piissimo Imp. ultra offerebat. Obsides de sanguine suo meliores transmittebat, omnem sibi illatam contumeliam silentio supprimebat, et adinstar Pharaonis plagis divinitus percussus iter populi Dei, videlicet signatorum Christi, quos se afflicturum vel de terra deleturum arbitrabatur, accelerari rogabat. Soli namque residuae a Bulgaria et deinceps Constantinopol. civitati consultum volens, ea quae pacis sunt, rogabat. Ad cujus videlicet urbis expugnationem omnis Christi exercitus adspirabat, ad cujus etiam obsidionem si invitum admodum piissimum Romanorum Imp. obstinatio et pertinacia Constantinopol. Imperatoris perduxisset,

novas etiam galeas ab Italia et Apulia et maritimis idem providus Imperator per literas et nuntios praeparaverat, exercitum quoque auxiliariorum Servorum et Blacorum ultra LX millia in promtu habebat, sed Domino ventis et mari imperante belli hujusmodi progredientis cessavit quassatio. Alterum quoque considerare licet, quod mora illa exercitus Christi per hyemale tempus in Graecia, quae omnibus nostris taedio et oneri fuit, divinae ordinationis clementia dispensata fuit, ne in deserta Romaniae asperitate hyemis incidentes tum intemperie aëris, tum penuria victualium homines et jumenta defecissent.

Consilio interim principum et meliorum exercitus Dominus Imperator propter diversas diversorum mentes, et quorumdam nutantia corda pia modestia Sacramentum exegit a cunctis militibus exercitus debitae subjectionis et fidelitatis usque post sex hebdomadas transmissae Antiochiae, ut scilicet quinquagenorum seu pentachorum minus concordi cessante magisterio, solius Domini Imperatoris omnis irrefragibiliter obtemperaret mandato, illud magnopere metuens, quia in scissuris mentium Dominus non inhabitat; illud propheticum intendens: melior est obedientia, quam victima. Exiit item edictum ab ipso Caesare Augusto, ut describerentur universi milites exercitus, singulis pentarchis sociorum suorum militum conscripta nomina et loca *) familiariter deferentibus ad ipsum imperatorem. Quod totum incunctanter adimpletum est ad nutum sapientissimi Impe-

---

*) A voce familiariter continuat Mstum coaevum.

ratoris. Eo tempore dapifer magnus Constantinopolitani Imperatoris, qui exercitum pergrandem adunaverat ut bachorum hostium publicorum agmina proturbaret, transmissa legatione supplicavit Domino Imperatori, ut quoniam pax inter ipsum et dominum suum Constantinopolitanum imperatorem fratrem imperii ejus unita esset, gloriosum exercitum peregrinorum Christi sibi transmitteret in adjutorium ad dimicandum contra bachos. Ipsa nichilominus die Kalopetrus bachorum dominus, itemque a suis dictus Imperator Graeciae, literis directis auxilium Christi peregrinorum adversus exercitum Graecorum expoposcit, sed utrique nuntii a Domino Imperatore inefficaciter ad sua sunt reversi. Tempore autem mansionis nostrae apud Adrianopolim decesserant ex hoc saeculo tres egregii milites et exercitui Christi admodum necessarii, id est Gudpertus de Aspirmont, Symon comes de Spanheim, et Reinoldus de Riffenberch, de quorun obitu non mediocriter doluit sanctae crucis exercitus. Igitur K. martii die jovis ante mediam XLmam [9]) secundum condictum et juxta imperiale praeceptum promovit inclytus dux Alamanniae cum

---

9) In margine: Hac tempestate et hac XL. moritur Romae Clemens Papa, cui successit Coelestinus, qui et Jacinctus, electus circa hanc mediam XL. et sabbato, quo canitur: Sitientes etc., sacerdos factus, deinde in ipso paschali die Papa est consecratus, qui mox sequenti die Henricum regem et reginam Augustali dignitate sublimavit, praesentibus, quos supra nominavimus, principibus, h. e. duce Boemiae, et Archiepiscopo Coloniensi Philippo.

suis agminibus Sueviorum videlicet et Bawariorum ab Adrianopoli, et sequenti die scilicet VI non. mart. reliquus exercitus cum domino Imperatore ad transitum maris iter desideratum est aggressus, transactis apud Adrianopolim XIIII ebdomatibus hyemalis temporis. Ipso in itinere in septimana dominicae passionis ingentis pluviae inundatione, tam nos, quam jumenta plura passi sumus incommoda, quibus etiam diebus Poto nobilis de Massingin adversa correptus valitudine XVII. Kal. April. diem clausit extremum. Diem deinde palmarum apud Rossam civitatem celebravimus pluvia invisa nos gravius affligente *), ubi etiam pars major exercitus ob difficultatem viarum currus et plaustra relinquens equos somarios cepit onerare, inde Brachol oppidum transeuntes tandem XII Kal. Aprilis, id est prima die ante Coenam Domini ad Kalipolim civitatem transitus nostri omnis convenit exercitus. Sacra ergo die coenae Domini prior omnium dux Sueviae cum magna pompa transfretavit, et in parasceve sabbathoque sancto paschae residui socii ejus Suevi omnes et Bawari transmearunt. Festivam igitur paschalis solemnitatis diem, quae tunc VIII Kal. Aprilis scilicet in Annunc. dominica evenerat, pluviarum continuarum imbres interceperunt, quapropter ex necessitate faciens virtutem, requievit in divinis laudibus cunctus exercitus. Unde egregium et dignum memoria cujusdam militis dictum, non sine admiratione audivimus. Dominus inquit omnipotens, qui olim Israelitico

---

*) A voce ubi ob medium folii 16ti abscissum sequentia e Transumto Reygradensi.

populo ad terram repromissionis ascendenti, per internuntium Moysen verbis loquebatur, nobis nichilominus nunb signis evidentibus paterna loquitur miseratione. Pluvia namque praesentis diei misericorditer nos ad suum filiali verbere adunavit servitium, qui videlicet in aëris serenitate postpositis divinis laudibus soli transfretationi operam dedissemus; pari modo, inquit, in Venetianorum a nobis dolose fugitivorum et tempestate ad portum nostrum divinitus repulsorum punita perfidia, antiquae potentiae suae operatus est miracula. Dum enim cum navibus, frumento et diversis etiam cibis onustis et Constantinopolim transituris, ad litus Kallipolis ventó contrario coacti appulissent, et a praenuntiis gloriosi Imperatoris Bertholdo et Marquardo praemoniti essent, ut in statione praedicti transitus exercitus S. crucis operirentur adventum, frumento et aliis mercibus nostris subventuri, illi tamen spretis ejusmodi monitionibus Constantinopolim velificabant, quasi plus inibi emolumenti conquisituri, sed ad nutum Dei omnipotentis, qui producit ventos de thesauris *) suis orta tempestate ad litus Calipolis unde furtim recesserant, sunt retropulsi; ubi a nostris detenti optatis frumenti et aliorum necessariorum mercimoniis exercitum relevarunt. Praeterea legati Pisanorum inibi supervenerunt, debita subjectionis et fidelitatis devotione dominum imperatorem salutantes et de statu ejus et exercitus Christi sollicite requirentes, cui etiam naves et galeas ad obsidionem Constantinopolis deuota instantia offere-

*) A syllaba ris sequentia e Msto coaevo.

bant. Feria II. paschae et duobus sequentibus diebus residuus transfretavit exercitus, factumque est, ut in sex diebus universus exercitus cum gaudio et exultatione cum ingenti gloria absque omni periculo penitus transmearet et in ipsa VI. die, h. e. fer. IIII invictus imperator cum ultimis transfretavit, vallatus quinque galeis bellatorum et aliis navibus, Graecis quoque tam in mari, quam in litore tubis concrepantibus, comitantibus etiam XVIII obsidibus supra dictis, quorum statim XIII Constantinopolim remisit, V. tamen usque Filadelfiam retentis. Igitur a transitu Savi id est Sowe fluvii, quo terram ditionis Graecorum intravimus usque ad transitum Kalippolis, hoc est de Europa in Asiam computantur XXXVIIII ebdomadae, quas in Bulgaria et Graecia magna prosperitate transegimus. Denique IIII Kal. April. a transitu praedicto cunctus promovit exercitus et relictis bigis et quadrigis iterum cum sagmis et sommariis iter aggressi ad laevam nostram veterem Troiam, relinquentes iamque de occidente in orientem fuimus transpositi et sicut dictum est de Europa in Asiam, moxque Romaniae partes terere cepimus. Ipsa quoque, quae nunc Romania dicitur, pars videlicet Asiae minoris, quondam duabus distincta est provinciis, Frigia et Bithinia. Tribus itaque diebus per montuosas et asperas vias progredientes, in octava paschae ad civitatem Spigast a Latinis inhabitatam, juxta fluvium Diga castra metati sumus. Dieque ipso dominico ibidem requievimus propter mercatus necessitatem. Exinde pridie non. April. magnum fluvium Aveloaica non abs-

que*) difficultate transivimus, ubi militem unum et puerum quemdam cum equis et asinis nonnullis gurgite fluminis perdidimus.

Interim Graeci solita perfidia pacis pacta violantes repentinis incursibus indies incautiores lacessebant, inermes quosdam occidebant, occisorum bona diripiebant, quod nostri persentientes solita constantia latrunculos perimebant. Fridericus Advocatus de Perge III. Non. Aprilis phalangas eorum invadens, plus quam LX ex eis trucidavit, caeteris quoque diebus insidias ipsorum praeveniens audacter in eos saeviebat, generaliter tamen a nostris mandato imperiali pax promissa erga immeritos terrae incolas conservabatur. Octavo Id. Aprilis inter civitatem Archangelos dictam, et castellum quoddam devenimus, ubi etiam dietavimus. Quinto Id. Aprilis venimus, Sycheron in vallem Ascaratanam, ubi sequenti die mansimus, ubi etiam exercitus coepit murmurare propter forum, dux tamen civitatis praesentiae Imperatoriae Majestatis perfide se subtraxit. Idus April. ad castrum Calamor venimus, ubi interjacentibus montanis duos milites amisimus. XVII Kal. Maji transeuntes per dirutam civitatem Meleos, ubi Ecclesia S. Hermae habetur, venimus ad Ayos civitatem, ubi SS. Cosmas et Damianus martyrio coronati fuerunt, ubi et dietavimus. Ibi denique Imperator Graeciae transmisit tentorium Domino Imperatori et ciphum aureum, suimet vero occursum, quem Domino Imperatori quoque promiserat, minime tunc exhibuit. XIV Kal. Maji civitatem Alos transeuntes venimus Philadel-

*) Sequentia e transumto Raygradensi, cum duo folia in Msto excisa sint.

phiam, quarum meminit S. Joannes Apost. et Evangel. in Apocal. Cum autem a Duce et civibus Philadelphiae, juxta promissum ab Imperatore Constantinopolitano ejusque Principibus, bona mercata speraremus, cives ipsi temerario quodam fastu non solum forum mercatum, conductum non exhibuerunt, verum etiam quidam proterviores verbis arrogantibus nostros lacessere praesumpserunt. Unde contigit, ut in ipsa civitate inter stultas sermonum vicissim altercationes subito tumultu excitato, nonnulli nostrorum rebus suis inopinate fuerunt spoliati, quidam autem etiam per noctem in civitate detenti, sed mane cum debita timoris reverentia redditi. Eapropter Serenissimus Imperator directo in civitatem nuntio imperiali quaesivit, qua vesaniae temeritate in hujusmodi prorupissent audaciam, qui dudum virtutem exercitus S. crucis et constantiam teutonicorum militum cum continuis in Graecia triumphis, tum antiquae famae celebritate liquido cognovissent. Dux ergo civitatis et regionis sano usus consilio, praestito super sancta Evangelia Sacramento cum aliis melioribus civitatis super objecto se noxae reatu purgavit, asserens stultos quosdam juvenes infronita verba garrisse, et sagittis hujusmodi quosdam nostrorum inconsulte provocasse; super quorum procacitate dignam tam Domino Imperatori, quam glorioso exercitui satisfactionem exhibendam, adjiciens etiam cunctos Christicolas misericordia super praedicta civitate movendos, utpote quae ultima et sola Turcis confinibus et aliis gentibus hucusque resistendo Christiani dogmatis cultum et honorem defenderet, ideoque gravius peccatum

super ejusdem urbis, quam super Philippolis et Adrianopolis destructione nos omnes incursuros. Interim acies Boëmorum et Ratisbonensis Episcopi militia portam civitatis bellico impetu invaserunt, ubi multos civium sauciaverunt, balistarii quoque sagittarii exercitus plures de summitate murorum sagittis transjaculatos dejecerunt, sed mansuetudo imperialis majestatis nostros ab incepto revocavit. Ipse quoque piissimus Imperator solita benevolentia obsides Graecorum, quos illo usque deduxerat, dissimulata promissorum sub jurejurando transgressione, non solum non punivit, verum etiam honorifice et clementer ad propria remisit. Praeterea ante praedictae urbis mansionem caterva peditum latinorum tenentium arcus et pharetras, et ad pugnam expeditorum, et usque nunc temporis diversis casibus in Graecia et Romania detentorum S. crucis magnifico sociata est exercitui, quos postmodum cum nostris alacres propugnatores adversus Turcas habuimus. Dec. Kal. Maji cum a Philadelphia promoveremus, cives Philadelphienses stultis excursionibus postremos exercitus impetierunt, absque nostri tamen et ipsorum damno. Sequenti cum Turcae extremam partem Domini Imperatoris incursarent, plus quam L ipsorum perimuntur.

Inde transivimus montana difficilia cum magno labore, quia equi ex parte maxima deficiebant, etiam omnia necessaria excepto pane in exercitu consumpta fuerunt. Octavo Kal. Maji venimus ad dirutam civitatem, quae minor Tripolis dicebatur, et a quibusdam Tyatira putabatur. Sequenti die in Lytania majori transivimus circa dirutam civitatem Jerapolis,

ubi S. Philippus Apostolus passus est, fluviumque, qui Maeander minor dicitur, transmeantes per vallem amoenissimam, liquaericia, cordomono, myrto, ficulneis et aliis speciebus opimani intrantes, etiam ibi distinctum locum Turco accessimus, ad campos Laodiciae, ubi bonum forum habuimus, et per diem mansimus, quae scilicet civitas sita in pede altissimi montis; ultra quem Ephesus est, ibique dicebatur Rex Franciae Ludwicus devictus fuisse, etiam Episcopus Frisingensis Otto. Finis hic fuit ditionis terrae Graecorum, quorum dogmatis fidem ab universali Ecclesia, scilicet a sancta Romana Eclesia discrepantem, succinctim notare dignum duximus. In fide S. Trinitatis aberrant, quia Spiritum Sanctum a patre tantum, non a filio procedere, ipsumque minorem patre et filio dogmatizant, in sacrificio suo non azyma sed fermentum offerunt, ipsumque sacrificium, seu Missarum solemnia non ea reverentia, non ea cautela, non ea cordis compunctione, quam nos licet peccatores et immeriti, celebrant et frequentant. Sacerdotes suos et alios clericos, exceptis Episcopis, in nulla divini cultus reverentia a rusticis suis discernunt, cantus et collectas missales in nullis anni festivitatibus vel Sanctorum mutant alternando, nisi solas lectiones et evangelia. Anathematizant omnes suo dogmati non consentientes, omnes Christicolas tam spirituales, quam saeculares, vulgari locutione Saeculares vocitant, pro quorum etiam conversione preces fundunt arrogantes, se solos nuncupant spirituales et orthodoxos, a subjectione S. Romanae Ecclesiae longo ex tempore se praeciderunt, soli suo patriarchae, quem universa-

lem vocant in divinis subjecti. Patriarchis item binis Jerosolymitano et Antiocheno suum Graecum Constantinopolitanum solo nomine praeferentes. Continentiam sacerdotes et clerici nullam voventes vel servantes.

Quinto Kal. Maji gradientes per quaedam desertissima loca Turciae descendimus juxta lacum Salinarum, in terra horroris et salsuginis omni viriditate et humana commoditate aliena. Ibidem invenimus greges ovium, caprarum, agnorum et haedorum, boum et equorum, et camelorum et asinorum, bene ad quinque millia, qui erant agrestium Turcorum, qui in adventu nostro relictis tentoriis et mulis montana profugi ascenderunt. Sed quia existimavimus, nos ex parte illorum pacem habituros, nihil eorum, quae in via nobis desiderabilia et admodum necessaria occurrerant, attigimus. Nocte illa in capite loci nec gramen, nec herbas, non frondes invenimus, unde plurimum jumenta contabuerunt. Mane et deinceps sequentibus diebus id est a IV Kal. Maji usque ad XV Kal. Junii per XX dies invenerunt nos mala a saeculis inaudita. Nam Turci equites et pedites, sicut a dominis ipsorum Soldano et filio ejus Melico procuratum fuerat, in quorum terra tanquam a laboribus et vexationibus vacaturi suspirabamus, et quia amicabiliter tanquam amici intraveramus, praesertim cum legati imperiales infra biennium tertio ad ipsos destinati responsum benignissimum et definitionem super securo transitu et foro exhibendo unacum ipsorum legatis reportassent; contra hanc igitur fiduciam ex insperato et e contrario pro amicis hostes et crudelissimi, nos sine intermissione

jaculis et incursationibus vexaverunt, exitumque nostris pro gramine colligendo inhibuerunt. Qua necessitate omnes nostri quotquot arma habebant, ipsis XX diebus incessabiliter armati incedebant et viriliter hostibus resistebant. Deus tamen interim videns afflictionem populi sui remisit aliquantulum indignationem suam, quae peccatis nostris exigentibus, super nos valde incanduerat, volens respirare populum suum, et dum pridie Kal. Maji praedicti Turci castra nostra, quae exivimus, mane intrarent pro colligendis, quae populus propter lassitudinem portare nequivit, Imperator ex industria fumum fieri praecepit, et illi sicut obcoecati a nostris subito occupati, fere CCC ex ipsis occubuerunt, tam in locis castrorum, quam in monte proximo satis arduo; reliqui observantes nos Tusopolim usque per viam valde laboriosam nos insecuti fuerunt. Sexta Non. Maji iterum persecutores crucis Christi congressione facta ceciderunt ad trecentos, et nos in maximo defectu et fame fuimus. In eo conflictu licet et in anterioribus speciali constantia et animositate claruerunt Dux Sueviae et Dux Meraniae, Comes de Chiburg, qui decem et VII una die occidit, Comes de Otinge, Fridericus Advocatus de Perge. Boemi quoque in his periculis contra communes hostes solita claruerant virtute. Horum sex servili super loricas assumpto schemate exierunt quasi gramen secaturi, super quos sex Turci ut rabidi canes insilierunt, dum ecce isti, qui timorem primum simulaverunt, subito evaginatis gladiis super invasores constanter irruerunt et omnibus sex occisis equos eorum ad castra laeti perduxerunt. Peditum etiam e

nostris quidam consumptis cibariis omnibus, unicum vitae solatium solum gestabat panem, quem repente unus e Turcis sagittis appetens, leviter quidem sagitta per ipsum panem et scutulam superpositam vulneravit, moxque pedes resumpto spiritu, arcu quem et ipse gerebat, intensa sagitta cor hostis transverberavit, cui etiam exanimi ad terram delapso novem panes, divina ut creditur providentia, abstulit sicque decem dierum sibi stipendia est lucratus.

Quinta Non. Maji id est in ascensione Domini plus quam XXX millia Turcorum in quadam arctissima clausura convenerant, per quam transituri fuimus, ubi Imperator Graecorum Emanuel cum maximo exercitu destructus fuit, ut nos eodem modo interimerent, sed infatuavit Dominus consilium Achitophel, quia Imperator spiritu Dei praemonitus aliorsum tetendit. Nam montem asperrimum et altissimum, solis ibicibus plenum laboriosissime transivimus, duce quodam Turco captivo, qui per viam compendii de terra solitudinis in terram uberiorem nos educendos spopondit. In cujus iterum montis angustiis Turci ex insidiis nos invaserunt sagittis et lapidum ictibus, de superioribus nos infestantes, ubi contigit ducem Alemanniae ictu lapidis vulnerari, et decem circiter milites sauciari, unum quoque nomine Wernherum occidi, unde nostri impatientes montem in nomine Domin intrepide pedites ascenderunt, hostesque exinde propulsantes contra aciem Domini Imperatoris dire minabant, ubi plus quam LX ex eis ceciderunt, quidam etiam e nostris camelos, oves et boves in ipsis montanis diripuerunt, ipsoque die in terram planam et cultam venimus,

ubi inscio Domino Imperatore plures Turcorum una cum mulieribus et parvulis sunt trucidati.

Tertio Non. Maji liquido cognovimus, quod amicitia et aurum Soldani versum sit in scoriam, etiam quod ipsi et Graeci in hoc convenerunt, ut quoniam non poterant resistere, fraudulenter interimerent nos. Sed de his omnibus liberavit nos Dominus. Nuntii etiam Soldani ac filii sui, qui apud Adrianopolim Domino Imperatori et Christi exercitui occurrerant, fraudulenter recesserunt a nobis, quasi Admirando declararunt locuturi, captivum Gotfridum secum ducentes, iterumque magis ac magis fraus Turcorum patuit. Pridie Non. Maji in festo S. Joannis ante portam latinam Turcorum a tergo iterum nos infestantium plus quam XX a nostris trucidantur, ubi in persequendo ipsos Turcos Fridericus, proh dolor! de Husen egregius miles subito casu de equo collapsus exspiravit, sepultusque est in spatioso pomerio, quem planxit omnis multitudo, utpote speciale solatium exercitus. Nonas Maji Turci existimantes nos omnino inedia contabuisse, hora vespertina juxta Vinimil civitatem, cui nihil laesionis, spe adhuc amicitiae irrogavimus, castra nostra fundis, jaculis, lanceis potenter invaserunt, sed exercitus vivificae crucis incursionibus eorum viriliter occurrit, primo per pedites, dein per equites, ita ut duo fugarent X millia, et nisi nox et montana intercepissent, omnes in ore gladii cecidissent. Nam ut ex relatione postmodum ipsorum hostium didicimus, IV millia et CLXXIV viri de equitibus et peditibus corruerunt, praeter DC, quos quidem procul dubio se amisisse, sed corpora eorum se nondum in-

venisse testabantur. Actus fuit hic conflictus autoribus duce Sueviae et duce Meraniae.

VIII Idus Maji transivimus Vinimil, jamque fames omni hoste crudelior in exercitu invaluerat in tantum, quod bos vel vacca pro quinque marcis vendebantur, interdum etiam pro novem, — marca, panis etiam parvus pro una marca, carnes praeterea equorum et mulorum pro deliciis sumebantur. Quidam ergo licet perpauci desperatione ducti, etiam a diabolo illaqueati ad hostes subito transierunt, propositum suum sanctae viae relinquentes et christianae religionis, proh dolor! immemores. E converso quidam peditum tam laboribus, quam fame et aegritudine confecti et extremum spiritum trahentes, dum exercitum progredientem subsequi nullatenus possent, dicto publice symbolo et dominica oratione, socios ejulantes viriliter a se propellebant et magnanimi constantia in modum crucis solotenus prosternentes mortem proximam in nomine Domini operiebantur, qui etiam dum non longe abessemus, ab hostibus nos consequentibus decollati Christi martyres efficiebantur.

Quadam etiam nocte contigit, quosdam vigilum Imperialium miserationis divinae super exercitum suum peregrinum memorabile praeclarumque signum videre. Circa namque primam noctis vigiliam viderunt agmen candidissimarum avium, exercitum totum terna vice circumvolare, ac post haec tentorio imperiali simul appropiuquare, et circa corpus cujusdam pauperis extremum spiritum trahentis expansis alis paulisper in aëre se suspendere, quo etiam mortuo alta aetheris petentes eaedem aves

subito non comparuerunt. VII Idus Maji maxima fortitudo Turcorum occurrit nobis ita ut montes et valles implessent, nosque simulavimus imbecillitatem, ita quod illi magis exasperati V. Idus Maji insultum clamoribus fecerunt in nos, et nostri subito regirantes occiderunt CC et in monte juxta montem Firmin plusquam L, praeter illos LXIIII qui in praecedentibus duobus diebus ceciderunt, insuper in praeda equorum et aliarum rerum eis ablata, sagma sagittarum et spiculorum, in quibus maxime fidebant, eis est praerepta.

Quarta Idus Maji scilicet in Vigilia Pentecostes inter condensissimas Turcorum acies usque in noctem jejunando famelici laboravimus, dum quidem in ponte angustissimo, ubi vix bini et bini transibamus, multum nobis officere potuissent, si virtus divina eos non coërcuisset, qua etiam die plus quam XX ipsorum sunt trucidati. Sancto die Pentecostes, qui quarta Idus Maji celebrabatur, summo diluculo auditis Missarum solemniis iterum inter Turcos processimus, qua die pepercit nobis Dominus ab incursionibus malorum Turcorum. Epulae praesentis festi fuerunt coria boum et equorum cocta, ditioribus vero equinae carnes in pondere et mensura. Virtus vero et constantia animi summaque alacritas in exercitu vigebat, sed non immerito castigans castigavit eos Dominus pro immoderantia epulae vel ebrietatis omnium nostrum pene in Graecia, et tamen morti non tradidit nos; fraus et iniquitas Soldani filiique sui, de quibus tantum praesumpsimus, quod in necessariis minus nobis providimus, ex divino flagello ad hanc miseriam nos inopinate perduxe-

ret. Farinula, si qua in exercitu habebatur, velut aurum custodiebatur, et abscondebatur, de qua et scutella permodica XIV solidis coloniensibus comparabatur.

Sequenti die id est V Idus Maji cum novis Tyronibus creatis processimus, et ecce filii Soldani, collectis CCC millibus equitum, acies suas instruxerunt, ut nobiscum dimicarent, sed Dominus Imperator primam aciem, cui praeerat Marschalcus Imperialis, fecit eis viriliter occurrere, quod ita factum fuit, et omnes in fugam versi sunt. Cuidam etiam religioso laico Ludovico apparuit quidam in nivea veste, albo equo insidens, veniens in auxilium nostrum, quem S. Georgium credebat, quidam vero angelum Dei esse dicebant, qui cum hasta una miro modo verberavit agmina Turcorum. In descensu itaque montis, unde primam aciem fugavimus, acies Domini Imperatoris bene electos Turcos stravit, et alium montem, quem duo filii Soldani cum gloriosa multitudine Turcorum et cum regali buccina occupaverant, Dominus Imperator morose ascenderat, et illi sub quadam indignatione terga dederunt, duce Sueviae similiter eos insequente, peditibus etiam laboriose ipsos propulsantibus.

Interim etiam magnus Melich a quodam milite est de equo propulsatus, et cuidam Baroni ejus dextra cum manica loricae ictu gladii est amputata. tunc Admiratus de crazzarat ita fertur Dominum suum magnum Melik affatus, sicut ipsa die quidam Armenus ad nos profugus retulit: Nonne contestabar *), ut exercitui

*) A syllabis testabar Mstum coaevum continuat, quae sequuntur.

isti non approximares, cujus virtus non humana sed divina. Ecce quidam militum meorum approbatissimorum computauerunt hodie VII. milia albatorum equitum equis niveis insidentium exercitumque istum praecedentium, qui nos omnes suis hastis, quas in manibus gestabant, durissime cedebant, et in fugam propellebant. Et si tot sunt milia niveorum equorum, quot putas erunt diversi coloris equorum. Quantamue gloriam hodierna fuga turpissima cum CCCtis milibus tuis te putas consecutum?

Admirandus sane quidam Turcorum, qui et unus fuit obsidum nostrorum, postea retulit regem Galaciae a filio Soldani in auxilium adversus nos evocatum, qui cum X milibus armatorum venisset ipsaque die diligenti studio acies nostrorum tam equitum quam peditum observans, animositatem eorum et viriles in infinita Turcorum milia excursiones intuitus fuisset, dixit Meliko; ubi sunt thesauri et arma spoliaque innumera, quae in manibus tuis te habere dicebas, e quibus etiam partem mihi promiseras? Istos, quos dicis defectos et praemortuos fame tabuisse et in equitaturis defecisse, ineffabili virtute plus quam CCC milia in fugam propulerunt. Nunquam vidit aliquis ita duo contraria convenisse, ut scilicet in mortem obstinate ruant et tamen morti constantissime in bello repugnent. Nos quia de nacta victoria Deo ymnum non cantavimus, dignas exsolvimus poenas, nam post nimium calorem et laborem post occasum solis exercitus in quadam harenosa solitudine divisus ex pulverosa nebula fuit, et sicut oves balantes inimicis circumgirantibus hinc inde erravit, ad ultimum tamen signa ex-

ercitus reperientes, castra absque aqua et gramine metati fuimus, unde jumenta inaestimabiliter perierunt, homines etiam prae nimia siti arebant. Sequenti vero mane sicut praemortui, itinerantes miserabiliter processimus, quibusdam propriam urinam, quibusdam sanguinem equorum bibentibus, aliis fimum equinum pro succositate masticantibus plerisque cespites gramineos ruminantibus, tandemque aquam in palustribus locis invenimus, sed quoniam ligna vel harundines seu stipulae ad carnes equinas coquendas inveneri non poterant, ex sellis equorum et diversarum genere vestium, tentoriorum scilicet, camisiarum, tunicarum plerique focum faciebant. Itaque idus Maji in locis paludosis equi nostri aliquantisper refocillati fuerunt, ubi et in sequenti die, id est XVII Kalend. Junii permansimus, ibique pene LX pueros pabularios incursu Turcorum occisos amisimus.

Ibidem magnus Melik et satrapae ipsius misso legato dixerunt: si Imperator et exercicus daret eis CCC centenarios auri et terram Armeniorum, quod in pace transitum concederent, et post tres dies forum facerent exhiberi. Imperator vero juxta consuedudinem mansuetudinis suae respondens ait: Non est juris imperii nostri, nec exercitus Christianorum, et militia vivificae crucis non poterit hanc consuetudinem habere, regiam stratam auro vel argento comparare, sed auxilio domini nostri Jhesu Christi, cujus nos milites sumus, iter erit aperiendum ferro. Nuncius vero recedens dixit, si hac nocte ad vos non fuero reversus, sciatis profecto quod cras ante horam tertiam Turci cum omni fortitudine sua vobiscum

decertabunt. Sed quia exercitus et equitaturae in respectu priori ad nimiam devolutae erant inediam, cepimus valde contristari et moesti esse, et tamen adjutor in oportunitatibus, qui magis vult parcere quam flagellare, inspiravit cordibus episcoporum quod paterna et salutari commonitione populum ad implorandum divinum auxilium excitaverunt et nomen S. Georgii martyris, quod celebre quidem habetur in tota ecclesia catholica, qui in anxietatibus nostris aliquotiens viris religiosis apparuit, laudibus, ymnis, jejuniorum votis pro posse suo extulerunt, ut loquar humano more, ipsum sibi a Deo signiferum propugnatorem, advocatum dari cum multis suspiriis et lacrimis efflagitarunt. Dominus itaque Imperator, quia res pro cervice videbatur actitari, tametsi occulte, aliquantulum tamen anxiebatur de castris crastinae diei, quae habere proposuit in ferali horto et viridario regali Soldani, et dixit familiaribus suis: Si cras Deo annuente cum aliquantula prosperitate tentoria figere poterimus, non modicum erit argumentum futurae tranquillitatis.

Mane vero facto XVI Kal. junii auditis missarum solempniis et accepta sacro-sancta communione in nomine Domini, valde paulatim ita quod etiam multi debiles et infirmi sustinerent, admodum tarde processimus et Turci, quorum innumerabilis erat multitudo, nos adinstar lunae corniculatae circumdederunt, et clamoribus et incursionibus multum vexantes ad castra nobiscum usque pervenerunt, absque laesione nostra, sed ex ipsis bene LX occubuerunt. In crastino itaque intra hortum et viridarium regium multam habundantiam gra-

minis et aquarum invenimus. Nocte illa tonitrua et ymbres insoliti molestaverunt nos. Mane facto dominus Imperator duas acies ordinavit, primam commisit filio suo duci Sueviae, secundam ipse gubernavit, in medio clericos et milites inermes, ceterum vero vulgus cum somariis et sarcinis procedere instituit. Edictum etiam imperiale exiit, ut si Deus concederet nobis victoriam, ne cuiquam liceret de praeda contingere, donec hostes ad terram prosternerentur, et civitas nostrae subderetur ditioni. Dum in procinctu fuissemus nuncius Soldani filiique sui occurrit nobis quaerens ea, quae pacis sunt. Imperator respondit: si nuncius suus ei de captivitate redderetur et nuncii industrii et prudentes mitterentur, qui de tanto negotio scirent et possent tractare, se in danda pace praestabilem inveniri. Post discessum itaque nuncii Imperator intelligens, quod haec omnia dolose et causa frustratoriae dilationis fierent, mandavit filio suo, quod ipse procederet. Qui dum juxta praeceptum patris sui ad portam civitatis Yconiensis constanter venisset, occurrit ei Gotfridus miles de captivitate liberatus dicens: benedicti vos a Domino, procedite confidenter, tradidit Deus civitatem hanc et terram in manus vestras. Soldanus itaque, qui cum sexcentis militibus armatis, sive in bono, sive in malo dubium, exercitui obviam ivit, visa prima acie terga cum suis dedit et castrum quod eminet civitati, profugus intravit. In quo etiam receperunt se fere omnes cives civitatis tam divites quam pauperes, portata secum infinitissima suppellectile auri et argenti et pretiosarum vestium, copiosa habundantia victualium;

equos et asinos et armenta sua in locis munitis concluserunt.

Praedictus itaque dux constantissimus cum suis porta prima civitatis bellica manu obtenta, Turcisque obsistentibus viriliter per gratiam Dei expugnatis, usque ad portam castri valde muniti persecutus eos, quos in civitate reperit, in ore gladii percussit, civitatemque cepit et cives occidit et nisi debilitas militum obstitisset, castrum ea nocte fuisset expugnatum. Milites enim fere per XV dies incredibili et inaudita laboraverunt famis inedia. Et mirum in modum, dum saepe fatus dux Alamanniae angelo domini cooperante ita quidem triumphasset in civitate, turma Imperatoris, quae extra hortos civitatis adhuc longe fuit, hoc ignorabat, sed erat circumdata innumerabili Turcorum multitudine, tantusque erat illorum impetus, quod nos qui ibidem fuimus, mortem cervicibus nostris jam proximam exspectaremus. Nam episcopi et plurimi sacerdotes offerentes se hostiam vivam summo sacerdoti, in argumentum officii sui stolas collis suis circumdederunt, desiderantes illa immortalitatis stola supervestiri, gloriantur cum apostolo dicentes: cupimus dissolvi et esse cum Christo. Sancta legio etiam electissimorum militum in omnibus comparanda legioni thebeorum martyrum, pari voto unaque voluntate sanguinem suum cupientes pro Christo fundere, quod nullum contractae debilitatis nec in ipsis, nec dextrariis suis vestigium appareret. In medio ipsorum erat ille gloriosus romanorum Imperator Fridericus, cujus similem totus nequit invenire orbis, qui tametsi saepe totam Tusciam, Longobardiam, Apuliam,

Burgundiam, jam firmissimas terras devicisset et innumerabiles strages hominum bellica manu factas vidisset, suffusis aliquantulum lacrimis haec fertur dixisse: Si exercitus Christianorum, qui hodie isto in loco ob amorem coelestis patriae desudat, cum omni integritate esset Antiochiae, poenam quam non decet imperiali irrogari personae, vellem sustinere, videlicet Caesarii honoris minorationem. Haec cum dixisset et cunctis qui aderant prae gaudio et aeternae retributionis desiderio lacrimantibus, iterum ille memorabilis Augustus subjunxit: Quid moror, Christus regnat, Christus vincit, Christus imperat et licet multo esset fatigatus labore, animi tamen nobilitate par Judae Machabeo, ipse primus regirato dextrario, ceteris in id ipsum consentientibus, venit super hostes et ita in fugam convertit, quod nec unus quidem illorum manum levavit, sed omnes in fugam conversi, de societate sua, hoc est de filiis belial, ad tria milia hominum amiserint et nisi debilitas militum obstitisset, qui fame tabuerant, castrum ea nocte fuisset expugnatum. Milites enim fere per XIIII dies incredibili et inaudita laboraverunt famis inedia.

Post haec dominus Imperator cum sequenti se exercitu civitatem intravit; ubi de spoliis hostium rabies ventris nostri aliquantulum mitigata fuit. Multi etiam de nostris foveas cum tritico et ordeo invenerunt, unde homines et equi ex magna parte recreati fuerunt. Referebant praeterea nonnulli, quod rapina in ipsa civitate facta in auro et argento, gemmis et purpura, erat ad aestimationem decem milium marcarum. In domo namque magni Melchi

thesaurus desiderabilis, quem praefatus Saladinus illi pro dote cum filia sua contulerat, sicut dicebatur, repertus fuit. Sequenti die hoc est XIIII Kalend. Junii cepimus laudare nomen domini, quia victoriam dedit nobis de inimicis nostris, dicta hac missa: Karitas Dei d. e. Officium itaque ipsum laetitiae nostrae et votis multum concordabat, in quo etiam mentio habetur Yconii. Post haec Soldanus et filii sui, nec non et Admirati incidentes in foveam, quam foderant nobis, se cecidisse dolentes miserunt legatos suos ad dominum Imperatorem supplicantes, quatenus in visceribus misericordiae terram et populum respiceret, neve malum pro malo redderet, sed honorem quem pro illato sibi contemptu eligere vellet, omnifariam ei exhiberent, adjecerunt etiam quod indignationem imperatoriae majestatis modis quibus possent, studerent sopire; quum igitur Imperatori non erat in proposito aliquibus arduis negotiis iter vivificae crucis induciare, communicato consilio principum in hunc modum respondit: Soldanus juxta amicitiam diu cum imperio nostro habitam, legatos suos ad nos misit et ad terram suam invitavit et securitatem viae et bonum forum nobis et exercitui nostro pollicebatur. Praeterea alii nuncii ipsius et filii sui Melchi praesentiam nostram Adrianopoli adierunt, uberiora et ampliora prioribus beneficiorum promissa nobis et his, qui nobiscum terram istam ingressi sunt, pollicentes, fecerunt nobis pro securitate viae arcus et tela, gladios et lanceas et omne genus armorum, insultationes, et insolitos clamores exhiberi, et pro bono foro nobis sub spem vi-

delicet amicitiae pollicito, magnus Melich cum omni fortitudine et virtute gentis suae in manu hostili nos et exercitum nostrum circumdederunt sicut apes et exarserunt sicut ignis in spinis, et tamen in nomine domini nostri Jhesu Christi romanus Imperator et advocatus specialis ierosolimitanae terrae hostium cuneos penetravit securus, et fugato multitudinis vestrae exèrcitu tradidit Deus noster civitatem hanc in manum nostram, sed quoniam romanus Imperator, cui collaterales semper esse debent misericordia et veritas, magis novit parcere quam ferire, hanc gratiam dominis vestris et vobis impertiri decrevimus, ut pax nostra sit super vos, dummodo detis obsides ad arbitrium nostrum, quod in bona pace et bono foro terram vestram exire debeamus. Talibus auditis nuncii cum ingenti gaudio haec Soldano et filio suo retulerunt. Qui infra breve spatium ea quae proposita fuerant, effectui manciparunt, datis X admiratis et aliis X magnis baronibus obsidibus.

Exercitus ergo X Kal. Junii exivit Yconium et juxta regium hortum sicut et prius castra metatus fuit, ubi forum tametsi care venderetur, tamen ad sufficientiam invenimus. Nam ibidem sicut puto inter equos et mulos plus quam VI milia, exceptis asinis vendebantur. In pane et carne, nec non butiro et caseis exercitus bene recreatus fuit. VII. Kalend. Junii inde moventes per quaedam spatiosissimà et plana loca venimus ad XL fontes. Sequenti die venimus ad quandam magnam et potabilem aquam. Ibidem quia agrestes Turci non omnino adhuc destiterunt insequi nos, dominus Imperator obsidibus dixit: Si Turci vestri non cessabunt

nos persequi et si forum ex condicto exercitui non exhibebitur, revera capitalem excipietis sententiam. Postea parum mali ex parte illorum sensimus. Procedentes inde transivimus quandam magnam villam, ubi multa vineta vidimus et parum aquae, laborioso quidem itinere venimus ad aliam villam, cui nomen est Pirgus, ibique bonum forum reperientes die una quievimus.

Postera luce i. IIIo Kal. Junii venimus ad quandam speciosam civitatem Larandam, quae dividit Ciliciam, idem Armeniam a Licaonia, Yconium siquidem metropolis est Licaoniae. Quantas igitur angustias et persecutiones die et nocte sine intermissione exercitus pro nomine Christi et honore vivificae crucis patienter et hilari vultu et absque murmuratione pertulerit, si ad plenum exponere conarer, etiamsi linguis hominum et angelorum loquerer, tamen in irritum cederet labor meus, quia puteus altus est et in quo hauriam, non habeo. Puto enim in tanti laboris debita et plenaria descriptione, si adhuc superstites essent, quasi elingues digitum ori suo superposituros famosum Homerum, facundum Luçanum, ipsumque vatem Mantuanum. Et factum est dum exercitus vivificae crucis movisset castra a Laranda, ubi vires aliquantulum receperat, venimus ad unam villam Armeniorum, ibidem in campis cruces a Christianis fixas reperimus, propter quod ingens gaudium et exultatio corda nostra exhilaravit; diu enim fuimus, quod nichil eorum quae ad decorem christianae pertinent religionis, nec vidimus, nec audivimus. Progressi itaque ascendimus quaedam montana solis ibicibus vix pervia, quae cum maximo transivimus labore ibique districtum terrae

perfidissimorum Turcorum reliquimus. Tunc obsides Soldani et filii ipsius instanter postulabant, quod ad propria remitterentur; adjecerunt quoque, quia in illo loco ex condicto dimittendi essent. Ipsorum vero precibus nec locus, nec audientia a principibus exhibebantur, sed in arctiori custodia jussi fuerunt observari. Dum itaque summitas asperrimi montis nos cum supremo recepisset labore, domino Imperatori occurit princeps Sibiliae, vir potens et honoratus, qui cum omni devotione eum suscepisset, et exercitui forum pro posse suo fecit exhiberi. Est autem Sibilia castrum munitissimum et marchia Christianorum a crebris Turcorum insultibus per ipsum defensatur. In descensu itaque montis filii dexterae excelsi castra metati sunt juxta quandam magnam aquam et invadosam, ubi equitaturae nostrae bene gramine refectae fuerunt, deinde recepti in quodam spatioso campo, ubi plurimum graminis erat, II. dies quievimus. Ibidem multitudo populi victualium cepit inedia laborare in tantum, quod equinae carnes apud quosdam sicut prius locum habuerunt. Principes enim et magnates per abrupta montium hinc inde quaesitas tenues interdum mensas habuerunt. Descendentes igitur juxta praedictam aquam, cui nomen Selephica, juxta quendam lapideum pontem castra metati fuimus, ubi honorabiles nuncii Leonis de montanis domino Imperatori occurrerunt, ex parte domini sui prout consuetudo est gentis illius, affectuose inclinantes, praecipiendi, ordinandi de populo, de terra omnimodam obtulerunt facultatem. Quos dominus Imperator tanquam viros industrios apud

se habuit, et consilio ipsorum de progressu exercitus ordinavit, audivitque ab eis, quod valde difficilem et asperam transituri essemus viam, sed piissimus Imperator in omnibus peregrinis suis tanquam pater condolens, verbum hoc celari praecepit, ne si forte populus audiret futuros sibi inminere labores, taedio viae et rerum penuria opprimeretur. De die enim in diem laeta et jocunda et boni fori exuberantia nobis promittebantur, sed haec omnia in contrarium cesserunt. Nam sequenti die V. idus Junii cum maximo labore ad hospitium venimus et exercitus propter incredibilem viae difficultatem non servata constituta progressione, nec exspectatis principum et societatum vexillis, unus quisque pro posse suo alium anteire attemptabat, et nocte illa major pars exercitus quendam altissimum montem in littore praefatae aquae protensum transiit. Obscuritas enim noctis impedivit, quod multa praeruptae semitellae pericula non poterant videri, quae in die iter nostrum sequentes multum terruerunt, et secundum relationem ipsorum in maximis angustiis eos fuisse intelleximus. Quis enim tam saxei cordis esset, tamque inurbanae cervicis, qui non ad lacrimas totus flecteretur, quando episcopos, milites electissimos, propter longas aegritudinum molestias videret in grabbatis equorum deferri, et in nimia semitae saxosae artitudine equus anterior et interdum posterior domini sui, quem deferebat et suimet mortem per miserabilem ruinam minaretur. Ibidem cernere erat, quomodo laudabilis et bene remuneranda eorum, qui dicuntur scutiferi, sedulitas dominorum suorum debilitatem

in sudore vultuum per montem illum portaverunt. In descensu montis herbarum reperta habundantia; prandium sumentes ibidem aliquantulum quievimus. Accidit autem, ut dominus Imperator et qui cum illo erant, juxta consilium eorum qui indigenae erant, volentes evitare periculum montis, quod prae oculis erat, dum lucifer aurorae radios suos spargere copisset, in littore aquae descenderunt, nec in minore fuerunt labore quam illi, qui per juga montis descenderunt. Nam sicut dicebatur, quidam episcopi et alii principes praepotentes relictis equis in quibusdam locis, ubi aquae a dextris, praecipitium montis a sinistris periculum exitiale minabantur, manibus et pedibus sicut quadrupedia reptabant et haec omnia dulcia et suavia ipsis videbantur amore illius, qui gressus hominum dirigit, et desiderio coelestis patriae, ad quam suspirabant.

Exercitus qui praecesserat ea die, hoc est IIII Idus Junii in campis Seleucii castra metatus fuit. Dum vero adhuc exercitus S. crucis totus tam pauperes quam divites, tam infirmi quam et hi qui videbantur adhuc sani, in difficultate viae et in rupibus saxosis, quae solis ibicibus et volatilibus vix accessibilia erant, tum etiam solis calore et aestus fervore indifferenter laboraret, Imperator ad omnia pericula imperterritus, volens et calorem immoderatum temperare et acumina montium devitare, Seleucii fluminis rapidissimi transnatare alveum attemptat. Sed quia ut sapiens dicit, ne coneris contra impetum fluminis, ipse sapiens in aliis insipienter vires exercet contra motum et impetum fluminis, quamvis ab omnibus in-

hiberetur, aquam intravit et immersus gurgiti qui saepe pericula ingentia evaserat, miserabiliter interiit. Occulto Dei judicio commendantes, cui nemo audet dicere: cur ita facis, quid in morte talis ac tanti viri intenderit. Qui enim exstitit miles Christi in militia ipsius et laudabili proposito recuperandae terrae domini et crucis ejus inventus est, etsi subito raptus est, salvatum indubitanter confidimus. Cum itaque alii nobiles circa ipsum sibi in auxilium quamvis tarde festinarent, extractum tamen eum ad littus eduxerunt. De cujus morte universi perturbati, tam vehementi dolore sunt perculsi, ut alii intra metum et spem positi vitam secum finirent, alii vero desperantes et quasi Deum curam de ipsis non habere putantes, christianae fidei renunciarunt et cum gentilibus gentilizaverunt. Planctus itaque et immoderatus dolor non immerito in tanti principis interitu omnium corda occupavit, ut jure cum propheta lugere debeant dicentes: cecidit corona capitis nostri, vae nobis quia peccavimus, propterea moestum factum est cor nostrum. Dux vero Sueviae princeps illustrissimus et patris haeres nobilissimus, dux etiam Christi exercitus est ab omnibus creatus et affectabiliter laudatus. Qui sumens corpus patris secum ad Tarsum Ciliciae civitatem deduxit, ubi intestina ejus cum magna reverentia reposuit.

Ibi exercitus domini divisus est, aliis versus Tripolim quae in Christianorum potestate fuit, tendentibus, aliis versus Antiochiam praefatum ducem Sueviae sequentibus processerunt. XIII tandem Kal. Julii venerunt ad portum S. Symeonis, XI. Kalend. Julii venerunt

Antiochiam, ubi etiam venerunt nuncii domini Leonis de montanis occurrentes domino Imperatori. Nihil enim adhuc de morte ipsius intellexerant. Sed cognita ea ibi plus aliis perturbati sunt. Ibi etiam regia sepultura ut decebat et inconsolabili planctu in Kathedrali ecclesia principis apostolorum Petri reliquum corpus ejus reposuerunt. Ubi cum post tantos labores ac tantam inediam et famis cruciatum requiescere et foueri vellent, tanta mortalitas et pestilentia principum facta est, ut indifferens interitus tam nobiles, quam pauperes, tam senes quam juvenes indifferenter raperet, ita quod nec aetas, nec conditio vix aliquem eriperet, inter quos prudens et venerabilis episcopus Herbipolensis Gotfridus, cujus industria totus exercitus domini regebatur, cum aliis episcopis et principibus, quos longum esset enumerare, raptus est et ibidem sepultus. Ipse siquidem fidelibus suis, qui morti suae interfuerunt, adhuc vivens injunxit, ut post mortem suam dextram manum amputatam Herbipolim reportarent, quatinus ejus memoria ibi non periret et in ecclesia illa semper vigeret, quam eadem manu ad laudem divini nominis illustraverat, sed portitoribus in via ablata est. Reliqui vero, qui tantae cladi superstites ibidem remanserant, cum saepe dicto duce Sueviae qui vicem paternae strenuitatis et potestatem ordinandae militiae domini susceperat, navigantes Ptholomaidam quae et Acona dicta est, pervenerunt, ubi totus exercitus crucis Christi coadunatus est.

Ubi etiam tam illi, qui prius in obsidione ejusdem civitatis, quam Turci munierant et acriter defendebant, inmorati sunt, quam et illi, qui

supervenerunt, miserabiliter interierunt. Credere posset, qui tantae mortalitati interfuit, quod finem tunc accepissent res humanae, sed ut propheta ait, foris vastabat gladius, et domi mors similis erat; inaudita pestis et pestilentia omnes totaliter stravit, ut etiam illi, qui Antiochiae vitam non finierunt, dilationem mortis suae quaerentes et in aegritudine sua Aconam navigantes, ibidem obierint [10]) et hi, qui in obsidione ejusdem civitatis aegrotantes immorati sunt, simili morte raperentur, inter quos dux Sueviae atrocissimus athleta Dei factus et timor Sarracenorum, cum aliis nobilibus divini certaminis propugnatoribus obiit. Et quamvis alii serius, alii citius ad eadem fata raperentur, omnes tamen una lex necessitatis stravit. Inter quos etiam venerabilis Pataviensis episcopus Diepoldus de sanguine imperalis propaginis ortus, viam universae carnis cum aliis intravit. Canonici vero et clerici suae ecclesiae secum obierunt, alii apud Aconam, Tegno et sui socii apud Tripolim. Obiit autem praefatus episcopus Diepoldus idus Nov. ceterorum vero principum dies obitus quia tam frequens et tam crebra fuit, diem dici accumulavit fatalem, nequaquam notare potuimus.

Anno domini M.C.LXXXX Willihelmus rex Siciliae, qui omnibus peregrinis in expeditione ierosolimitana decertantibus pie subvenit, obiit sine haerede, unde quia regia proles in ipso defecerat, de successore in regnum gravis oritur dissensio, quibusdam assumentibus

10) In margine a posteriore manu: Hoc anno claustrum nostrum Myl. conbustum est. Sine dubio Milovicense hic intelligendum est.

quendam Tancradum, qui non de regia stirpe, sed de privato genere originem traxit. Romanus vero princeps Henricus, cui pater gloriosus Imperator Fridericus iter ierosolimitanae expeditionis aggressus regnum reliquerat, eo quod prius sororem ejusdem siculi regis duxerat uxorem, succedere jure debens cum hac ipsa uxore sua et principibus imperii, qui superstites remanserant dominicae expeditioni, ad regnum obtinendum, quod dotali jure ei attinebat, et invasorem ejus expellendum, simul etiam in eadem via ad imperii fastigia per unctionem et papalem benedictionem promovendum, iter in Apuliam aggressus est, ubi etiam tunc in introitu suo in Tusciam feliciter sibi succedente fortuna sine contradictione et absque sanguinis effusione, mortuo Clemente qui et Paulus dictus erat, prius Prenestino episcopo, a Celestino iacincto prius dicto ipse et praefata uxor sua unctionem et coronae insigna susceperunt in sequenti die paschae, quod erat VII Kal. April. Ipse etiam dominus papa prius diaconus, et circa mediam XLmam recenter electus sabbato, quo dicitur: sitientes, sacerdos est factus et in die paschae hoc est VIII Kalend. Aprilis papa est consecratus, qui statim proxima die ipsum regem et reginam augustali dignitate excellenter sublimavit. Erant autem in comitatu ipsius Imperatoris domini sui inter alios principes Otto qui et Cunradus dux boemorum et Heinricus frater Liupoldi ducis Austriae assumpto signo peregrinationis, qui quamvis regi regum omnium militare proposuerant, domino tamen suo Romanorum regi contra hostes imperii arma ferebant, ita videlicet ut a suo proposito recedere non

intenderent. Fuerunt etiam in eadem expeditione Imperatoris dominus Coloniensis archiepiscopus Philippus et filius quondam Saxoniae ducis Heinrici nomine patris dictus, qui in spe recuperandae dignitatis paternae, quam aliquando, dum Imperator Fridericus contra Lonbardos decertasset et auxilium petenti denegasset, perdidit, obsequium praestitit, sed nescio qua se ingerente occasione latenter et sine licentia recessit ac domum rediit. Imperator etiam Heinricus in principio post susceptae coronae unctionem prosperatus tandem Neapolim obsidione cinxit, in qua diutius inmoratus multos de principibus suis, coloniensem videlicet Archiepiscopum et ducem boemiae Ottonem [11]) et alios quam plures perdidit. Cum ceteris vero qui huic mortalitati superstites remanserunt, cum infirmis cogitur infirmus recedere.

Non solum autem ex romani imperii ambitu, sed ex aliis etiam regnis, occidentali videlicet Francia et Anglia, reges cum terrarum suarum incolis universi excitati ad viam domini signaculo crucifixi sunt insigniti. Verum inimicus humani generis hujus laudabilis propositi executionem impedire volens, semina dissensionis inter eosdem reges seminavit, ut con-

11) Supra Ottonem appositum Cunradum et in margine a Gerlaco: Anno dominicae Incar. M. C. LXXXXI. V. idus Septembris mortuus est praedictus dux Boemiae Cunradus in Apulia circa Neapolim, cujus carnes in monte Cassino positae, sed ossa Pragam sunt deportata, cui successit brevi licet tempore Watzlaus filius antiqui, frater novi Zobezlai spatio trium vel quatuor mensium.

tinua Werra contra se moti causam domini, qua contra hostes fidei triumphare debebant, distulerint, neuter tamen viam sine altero incipere volens alteri cedebat. Tandem zelo Dei ducti dissimulantes, si qua fuit inter eos odii dissensio, iter aggressi sunt. Rex Franciae Philippus et nobilis comes Flandriae cum magno comitatu per Italiam transeuntes, apud Januam transfretare volentes mare intraverunt, sed quia autumpnalis asperitas eos repulit, apud Messynam civitatem Calabriae toto illo anno coacti sunt morari. Rex etiam Angliae Richardus inpiger ad omnia negòtia cum infinito exercitu et apparatu, pecunia etiam tanta qua omnes socios viae domini antecedebat, per mare cum multis Galeis navigabat et in eodem portu Messynensi supra dicta necessitate cogitur applicare et ibidem hiemare.

Dux etiam Liupoldus Austriae diu accensus ejusdem peregrinationis desiderio, quamvis inde noviter reversus fuerit, et licet vocatus ac rogatus a domino suo adhuc rege Romanorum existente Heinrico fuerit, ut ad suam expeditionem accingeretur, maluit tamen aeterno militare regi, quam temporali. In assumptione siquidem S. Mariae viam christianae militiae de Wienna se movens aggressus est *) et Venetiis naves intrans per Illiricum et Dalmaticum mare remigare proposuit, sed simili intemperie, quae sicut dictum est, circa autumpnum qui tunc instabat, gravius saevire solet, prohibitus, Sadire civitate Dalmatiae applicare et tota parte ejusdem anni usque ad proximum

*) In marg. annus MCXC notatur.

ver hyemare compellitur, ubi etiam cum aliis, qui simili causa detenti sunt, opportunum tempus transfretandi et vernalem auram mitiorem navigantibus exspectavit. Accepta itaque opportunitate vernalis temporis, tam illi, qui in portu Messinensi quam et hii, qui apud Sadiram toto illo anno taedio affecti demorati sunt, iter propositum arripuerunt et ad portum Acceron secure et sine detentione (M. C. XCI.) applicuerunt. Erant autem in comitatu illustris ducis Austriae Leupoldi comes Sifridus de Niderl et Dietmarus liber et pauci ministeriales sui, Ortlebus videlicet de Winchil, Hugo de Pucperch, Heinricus de Medlik, Albertus de Horn, Albero de Ceniliub, Pertoldus de Wurmz, Rudwinus de Gors et unus fratrum de Radun, quorum nullus secum reversus est, sed omnes praedicti fatali necessitate dies suos clauserunt, praeter comitem Sifridum, qui fomitem infirmitatis secum reportans aegrotavit et in via demoratus sequenti anno reversus est.

Rex vero Angliae morose navigans in Cypro applicuit. Ubi tunc regnum tenebat quidam Ysaachius aequivocus illius, qui constantinopolitanum post mortem Andronici arripuerat regnum, et eodem imperio diviso post obitum Manuelis, qui eosdem principatus solus regebat, quis cum quilibet raperet quod posset, totam Cyprum iste suo dominio usurpavit. Cujus insolentiam et malignitatem quam dicitur in peregrinos pauperes exercuisse, rex Angliae ferre non valens, captum eum secum et uxorem suam transvexit, et insulam eandem suis usibus vendicatam sibi etiam censualem fecit. Ipsum etiam apud Margatum munitissimum castrum relega-

vit. Idem itaque rex Angliae primus et praecipuus in tota militia christiana eo quod in facultatibus et in omnibus opibus alios praecedebat, et eos aspernatus postponebat, dominium sibi super omnes usurpabat. Regem etiam Franciae, cui quamvis hominii jure obligatus teneretur, despectui habens, non reverebatur: Marchionem insuper Chunradum dominum Tyri, per quem eadem civitas post desolationem terrae domini a Christianis retenta est, per quem etiam potestas Turcorum et Saladini principis eorum propulsata est, vilipendebat.

n. Ducem etiam Liupoldum illustrissimum principem quamvis non ita gloriose sicut decebat, ibi manserit, pro abjecto reputavit, cujus fastus intemperantia ad cumulum sui damni cessit. Itaque cum idem rex et tota militia christiana valido robore in obsidione Ptholomaidis diversis bellicis instrumentis laboraret, tandem viriliter instantes ipsam expugnaverunt, et valida manu ceperunt. Incolas etiam Turcos videlicet usque ad VII milia et amplius captivaverunt, cujus etiam captae civitatis dominium ita sibi soli vendicavit, quod nec alios consortium habere permisit. Marchionem etiam Chunradum, qui ab omnibus rex creatus erat, reprobabat, adeo quod ejus consilio dicitur esse interemptus. Duo siquidem cum eo diu familiariter conversati a vetulo (a Leone) de montanis missi ad ejus interemptionem, dum nichil de eis sinistri suspicaretur, eum cultellis perfoderunt et occiderunt. Qui tamen non impunes abierunt, sed poenam dignam meritis exsolverunt. Capta igitur Acona et a nostris inhabitata, dum Saladinus conventionem de redi-

mendis captivis Turcis facere differret, commotus rex Angliae sicut vehementia sui furoris eum saepius exagitavit, omnes trucidavit, praeter paucissimos nobiles quos adhuc in spe alterius pacti captos reservavit. Dum itaque haec omnia fierent et ad Ascalonam quae etiam a Turcis inhabitabatur et Christianis rebellabat, milites Christi festinarent, Turci territi de captione Aconae Ascalonam vacuam reliquerunt, et sine bello eam Christiani occupaverunt, quam ipse rex Angliae non sine scandalo aliorum eis redimendam dedit. Cum enim hominum raritas et penuria id faceret, ut nec inhabitari, nec defendi ab incursu et invasione adversariorum posset, maluit eam recepto pretio sub districta conventione relinquere interim, quam sine defensore et praesidio defensionis positam iterum perdere.

Rex itaque Franciae non valens arrogantiam regis Angliae, a quo debebat servitium non contemptum exspectare, pati, comite Flandriae mortuo ibidem revertitur [12]) et per Italiam et per Tusciam transiens summo pontifici Lateranis Coelestino loquitur, a quo bene susceptus et pie ammonitus, ad liberandam terram domini eum instantius cohortatur. Insuper etiam ei ut filio carissimo et peregrino dilecto dona et paternae benedictionis munera largitur et abire in

---

12) In margine: Facta sunt haec anno verbi incarn. M. C. XCII. quo inchoante praedictus Heinricus Pragensis episcopus contra Watzlaum ducem caesarem Henricum adiit, et cognatis suis Premizlao et Wadizlao, illi ducatum Boemiae, alteri vero Moraviam obtinuit, promittens et fidejubens pro eis sex milia M.

osculo eum dimittit. Cum itaque Mediolanum civitatem Liguriae veniret, Imperatorem Heinricum de Apulia redeuntem in via invenit, nec subito convenerunt, sed quia aliqua dissensionis nebula inter eos latebat, non repente comparebat, eo quod prius in discordia quam cum coloniensi Philippo pater ejus habuit, sibi ipse auxilium praestabat. Sed mediantibus aliis prudentibus et ex utraque parte se sapienter interponentibus occasio hujus suspicionis exstirpata est, et eum Imperator in osculo pacis susceptum et honestis muneribus honoratum, post haec tanquam principem gloriosum et amicum dilectum cum honesto ducatu abire ad regnum proprium dimisit. Dux vero Liupoldus sequenti anno post reditum suum ducatum stirensem mortuo nepote suo Otacharo, qui ei sine haerede moriens terram coram Imperatore Friderico sub testamento assignarat, post multos labores suscepit, et a filio suo Imperatore Heinrico Wormatiae tam ipse quam filius suus Fridericus excellentissime investiti sunt.

Rex Angliae Richardus, qui gloria omnes anteire voluit, et omnium indignationem meruit, in obsidione terrae et haereditatis domini plus ceteris et post ceteros moratus eodem anno incarnationis domini M. videlicet C. LXXXXII *) nescio utrum timore regis Franciae, qui prius ante eum recesserat, vel taedio peregrinationis affectus, pacem cum Saladino et Turcis ad V annos faciens et firmans, cum uxore navigio post alios revertitur et ventorum impulsione in mare periculis multis circumductus jactatur,

*) In margine: in autumpno.

tandemque ad Polam civitatem Ystriae ad litus fertur et applicare cogitur. Ubi uxorem et familiam totam incertis undis maris relinquens, ipse per Forum Julii cum paucis de periculis maris egressus et viam per terram aggressus, licet incognitus esse cupiens, a pluribus tamen cognitus et in via suis aliquibus captis, aliquibus truncatis, rebus etiam suis perditis, in Austriam ducis Leupoldi terram transivit. Ubi latenter transire volens et terra principis, quem prius graviter et plurimum offenderat, incognitus exire volens, judicio Dei tactus laqueum incidit ejus, quem prius illaqueare voluit. Dum itaque arrogantiam ejus divina aequitas diutius non sineret transire inultam, eum manibus et potestati tradidit illorum, quos ipse prius quasi contemptos abjecerat et contumeliose reprobaverat. Justo siquidem Dei judicio ut, cum ipse in prosperis successibus suis illos honorare noluerit, quos dignos honore scire potuerat, ab eisdem etiam dedecorandus judicaretur. Circa Wiennam siquidem latenter moratus pedes, duobus sociis tantum comitatus, in vili hospitio per exploratores inventus et captus est ab hominibus ducis Austriae. Cum itaque idem dux illustris Austriae plures causas adversus ipsum efficientes habuerit, jure ipsum, in manus ejus divino judicio traditum tenuit, sed tamen praeter meritum ipsum honeste tractavit et in castro suo Tyernstein juxta Danubium sito servari praecepit. Una siquidem et efficiens causa fuit, quod eum in obsidione Aconae quasi abjectum reputavit, quod etiam Ysaachium principem Cypri et uxorem suam ad sanguinem suum pertinentes captivavit; quod etiam Chunradum fi-

lium amitae suae interemisse suspectus habebatur. Idem siquidem Chunradus princeps nobilissimus et adleta Dei invictissimus consilio omnium sapientium, qui expeditioni domini interfuerunt, rex Ierosolimorum ordinatus et uxore illa sibi data, quae prius commanebat Humfrido ejusdem terrae regi dicto, nescio quo divortio inter eos facto, ab omnibus, ipso solo rege Angliae renuente, est elevatus. Post cujus mortem, quae supra dicta est, comes Heinricus de Campania in eadem expeditione diu cum multis expensis moratus tam in regno, quam in uxore sibi successit. Itaque rex Angliae diu observatus a duce Liupoldo Imperatori Heinrico quem etiam in negotiis regni et in filio sororis suae duce videlicet Heinrico quondam dicto Saxoniae, multis modis contra dominum suum concitato, et in aliis regni impedimentis provocaverat, est repraesentatus, sed non statim oblatus. Sinistra siquidem consilia ibi, quae inter aemulos ducis Leupoldi versabantur, finem rei imponere non sinebant. Dictum quippe fuit ei, quod Imperator per consilia prauorum quorundam eum violenter rapere vellet et in suam potestatem redigere. Tandem omni suspicione remota inter eos conventio facta est, ut reductus in Austriam in proximo ad Nebdunam, quae et Spira dicta est, domino Imperatori committatur, hoc condicto inter eos facto, cujus exemplar jure subjunximus.

Haec est forma conventionis sive tractatus habiti inter dominum Heinricum Romanorum Imperatorem et Liupoldum ducem Austriae super incolumitate et pace regis Anglorum aliisque negotiis: Ego Liupoldus dux Austriae da-

bo et praesentabo domino meo Heinrico Romanorum Imperatori regem Angliae hoc modo seu tenore, quod idem rex, sicut condictum est, donet domino Imperatori centum milia marcarum argenti, quarum ego medietatem habebo ad dotandam filiam fratris Anglorum regis, quam ducturus est unus filiorum meorum in uxorem. Haec autem filia fratris regis Anglorum in festo beati Michaelis uni filiorum meorum, quem ad hoc elegero, erit praesentanda et medietas de jam dictis centum milibus marcarum argenti videlicet quinquaginta milia marcarum argenti in eodem termino erit solvenda, quarum dominus meus Imperator unam medietatem recepturus est, et ego aliam, altera vero medietas de eisdem centum milibus marcarum, videlicet quinquaginta milium marcarum, quae restant, persolvenda est usque ad initium quadragesimae proxime venturae, cujus pecuniae similiter dominus Imperator mediam partem habebit et ego mediam, et quaecunque pars totius pecuniae praedictae sub quocunque numero domino Imperatori infra terminum illum, quo tota debet solvi, illius medietas sine malo ingenio mihi praesentetur. Dominus autem meus Imperator ducentos mihi obsides dabit, quod si ipse, postquam regem Anglorum ipsi praesentavero, quod dominus avertat, in fata concesserit, eodem rege in sua potestate existente, ipse rex mihi sine malo ingenio praesentetur; sed si me prius mori contigerit, eadem conventio uni filiorum meorum, quem ad hoc elegero, per omnia observetur, illi videlicet, qui ducturus est filiam fratris regis Angliae in uxorem, et si illi non fuerit, alii filio meo eadem servetur conventio.

Item rex Anglorum dabit domino Imperatori quinquaginta galeas cum hominibus et expensis et aliis omnibus attinentiis et centum milites cum quinquaginta balistariis in eisdem ponet galeis, et ipse praeter haec in propria persona cum centum aliis militibus et quinquaginta balistariis intrabit regnum Siciliae cum domino Imperatore et bona fide assistet ei, quousque regnum obtineat, nisi de bona ejus voluntate et licentia ab eo recedat. Et ut idem rex haec omnia fideliter exequatur et persolvat, dabit domino meo Imperatori ducentos obsides meliores de terra ditionis suae, quos dominus Imperator ab eo requiret, nisi domino Imperatori de veritate constiterit, quod aliquis vel aliqui ex illis ita manifeste se ei opponat, vel opponant, quod illum vel illos nullatenus habere posset, et tunc loco illius vel illorum alium vel alios, quem vel quos dominus Imperator denominaverit, idem rex ei obsidem vel obsides dabit, exceptis filiis sororis suae et Heinrici quondam ducis Saxoniae et filio fratris sui. Hii autem quibus dominus Imperator eosdem obsides servandos committet, jurabunt quidem, si dominus Imperator, quod Deus avertat, interim dum idem obsides in eorum sunt potestate, decesserit, ipsos obsides dimittet absolutos et sine malo ingenio in tutum locum conducet. Item si rex Angliae domino Imperatori universa, quae promisit, persolverit, dominus Imperator insuper obsides tam diu detinebit, quousque ipse rex me ducem Austriae apud papam absolvet. Si autem dictus rex promissum non persolverit domino Imperatori, in voluntate ejus erit, ut de obsidibus regis agat

secundum suum beneplacitum, ita, quod ego dux Austriae nichil inde habeam disponere. Ad haec dominus Imperator decem nobiles de imperio suo jurare faciet, tales videlicet, quales ego dux elegero. Quod si rex Angliae universa, quae ei promisit, persolverit, obsides ejus dimittentur absoluti. Item dominus Imperator regem Angliae in potestate sua tam diu detinebit, quousque rex Cypri et ejus filia, qui in captivitate regis sunt, absolvantur. Si autem rex Cypri et ejus filia absoluti sunt a captivitate et pro liberatione eorum aliquid datum est vel exactum, dominus Imperator regem Angliae similiter in potestate sua detinebit, quousque illud ex integro restituatur. Item si rex Angliae infra hunc annum praesentem, videlicet ab hoc capite jejunii [13]) usque ad caput sequentis jejunii neque pecuniam promissam, neque obsides dederit, vel uno istorum completo reliquum obmiserit, et transacto illo termino de conscientia mea domino Imperatori de veritate constiterit, quod dictus rex neque pecuniam promissam, neque obsides persolvere possit, vel uno istorum facto, alterum non fecerit, et eo cognito si dominus Imperator regem mihi offerre noluerit, in optione mea erit, ut de supra dictis ducentis obsidibus, quorum dominus Imperator mihi dabit quinquaginta, videlicet qui pueri sint et non milites, quos ego voluero, retineam aliis dimissis, et rex Angliae in meam recipiatur potestatem. Si autem regem Angliae in potestate domini Imperatoris decedere contigerit, praedicti ducenti obsides

---

[13]) In margine: Facta est haec conventio verbi incarn. M. C. XCIII. scilicet in capite jejunii.

domini Imperatoris erunt absoluti, nisi dominus Imperator de supra dicta pecunia aliquid perceperit, cujus medietatem ego non habuerim, quia medietate habita idem obsides erunt absoluti. His autem omnibus, secundum quod supra dicta sunt, bona fide et sine malo ingenio completis, dominus Imperator saepe dicto Anglorum regi pacem firmam observare tenetur et concordiam. Datum apud Wirzpurch anno ab incarnatione domini M°. C°. XC°III. Kalend. XVI Martii.

Dum vero in captivitate in Austria adhuc detineretur, fama velox vicina regna et regnorum principes penetravit, et auditam humiliationem et captionem tanti viri mirati, certitudinem hujus facti a duce Austriae literis suis inquirentes, ipsi scripserunt. Ut igitur probabilius esse credatur, quod prius eum diximus suspectum haberi de morte Marchionis Chunradi, rescriptum epistolae regis Franciae, qui secum conversatus est in transmarinis partibus, cui etiam res ex aliqua parte notior erat, subjungere dignum duximus:

Phylippus Dei gratia Franciae rex Karissimo amico suo nobili duci Austriae, salutem et sincerae dilectionis plenitudinem. Quoniam quam perverse et contra Deum et contra hominem Richardus impiissimus rex Angliae in transmarinis partibus vixerit et fecerit, oculo ad oculum vidistis et audistis, singula vobis ad memoriam non oportet reducere. Verum scimus vos fixa tenere memoria, quod Richardus Chunradum marchionem et dominum Tyri, qui usque ad supremum diei exitum defensor et columpna Christianitatis extitit, sine

causa et nullis praecedentibus meritis consanguineum quondam vestrum karissimum et nostrum per assessinos crudeliter fecit interfici. Modis igitur omnibus quibus possumus, preces ex intimo cordis affectu procedentes vobis porrigimus, quatinus intuitu misericordiae Dei et respectu cujusque servitii, quod unquam vobis potuerimus exhibere, praedictum Richardum sub arcta teneatis custodia, nec aliquo modo eum liberetis, donec vobis et nos cum illustri Romanorum Imperatore ore ad os aut per nuncios de latere nostro locuti fuerimus. Simili siquidem morte et eodem anno per eos quos assessinos dicunt, Saladinus, dum amplius quassaretur, sanguinem Christianorum. (Deest Require.)

Cum itaque vehementia repentinae mortalitatis incessanter vexaret et nullum de tanto exercitu exciperet, sed universaliter omnes et indifferenter interimeret, cum etiam inter hostes et adversarios christiani nominis similis vel etiam amplior mortis calamitas saeviret, facta fuit inter eos a proximo pascha ad III dilationem annorum pacis et stabilis treugae confirmatio et hinc inde conservandae pacis stabilis laudata est pactio. Cum enim, ut ait quidam sapiens, quod caret alterna requie durabile non est, merito adletae Christi, cum indefessi ad omnem laborem pro ipso tolerandum existerent, et mortem instantem non formidarent, ut tamen resumptis viribus fortiores et paratiores iterum ad certamen redirent, hujus pacis dilationi acquieverunt. Post mortem Saladini inter fratrem ejus Saphadinum et filios, quos habuit de pluribus uxoribus, orta videtur esse dissentio. Ipse siquidem Saphadinus fra-

tri in dignitate succedens et filiis fratris haereditatem patris non concedens, adeo cum ipsis dissonabat, ut aliqui eorum Christianorum auxilium expeterent. Rex vero Angliae Richardus adhuc in captivitate detentus, pecunia laudata ex parte data, ex parte etiam adhuc danda positis obsidibus nobilibus, inter quos erat filius regis novariensis et filius ducis quondam Saxoniae, qui erat sororius regis Richardi, liber abire permittitur. Qui obsides non solum pro pecunia, verum etiam pro reliquis articulis conventionis solvendis, servabantur. Interea Tancradus et filius ejus major, qui regnum Apuliae sibi vendicaverat, mortuus est, uno tantum parvulo relicto superstite, qui adhuc etiam patri in regno succedere aspirabat. Iste Tancradus filius quidem Rugerii, sed non de legitima fuit. Genuerat enim eum de filia Rudperti comitis, quam unice dilexit, quam etiam postea superducta legitima legitimo tradidit. Imperator itaque cum uxore, quae legitima haeres fuit saepe dicti jam regni, valida manu et militia ad illud ipsum regnum, a quo tamen prius infecto negotio recesserat, revertitur. Ducto vero secum exercitu validissimo, tam navali quam etiam equestri expeditione mota, non solum Apuliam, verum etiam Siciliam et Calabriam et Panormium metropolim Siciliae, quod caput terrarum, quas Rogerius inhabitavit, fuit, robore suae majestatis occupavit. Salernum munitissimam civitatem Apuliae, quae prius imperatoriae dignitatis majestatem laeserat, omni honore et gloria sua privatam et incolis suis denudatam cepit. Ipsa enim, quae prius medicinae suae auxilio exteris nationibus subvenie-

bat, nullum invenire poterat, qui doloribus suis ullum curationis solatium adhiberet. Facta sunt haec anno dominicae Incarnationis M°. C°. LXXXX° IIII°. [14])

Fuit in eadem expeditione inter ceteros principes filius ducis Leupoldi nomine patris sui dictus, qui etsi non diu militem induerat, non minus tamen militis officium exercebat. Dux tamen pater ejus gloriosus princeps et frater ejus F. domi remanserant. Dum vero in nativitate domini in marchia adeptae noviter terrae in castro Graze festum ageret et celebrem solempnitatem haberet, sequenti die solempnitatis equum durioris cervicis ascendens, obducta glacie parva nive circumductus, in quo sedebat, cecidit, et licet in variis militiae casibus miles exercitatissimus fuerit, hic tamen infortunatum casum non evasit, quin crus per medium rumperetur, ita quod os et caro rumperetur. Unde cum nullis medicorum experimentis pars illa corpori potuit consolidari, ejus gravi urgente dolore et instantissima petitione cogente pes amputatur. Cum igitur fati inevitabilem necessitatem instare sensit et quia summi pastoris sententia ipsum innodaverat vinculo anathematis, archiepiscopum Juvavensem (Salzburg.) debito sanguinis sibi astrictum propinquum, qui etiam nutu divinae propitiationis non longe aberat, intime vocavit, et tam pro mitiganda divinae dignationis vindicta, quam pro absolutione datae in ipsum sententiae supplex interpellavit. Ad cujus consilium et mandatum se

[14]) In margine: Hoc anno Heinricus dux et episcopus Moraviam obtinuit et Zirbiam praecepto Imperatoris devastavit.

totum offerens et sicut potuit satisfaciens, intime compunctus obiit III. Kalend. Januarii anno M C.LXXXX°IIII.

Filius autem suus F. qui ei successit in Austria sicut nobilis haeres patris, sicut etiam ammonitus a patre attentius fuit, obsides detentos abire liberos permisit et pecuniam, quam de rege Angliae acceperat vel quam adhuc habebat, vel quae adhuc solvenda erat, remisit. Quamvis praefatus tamen archiepiscopus Salzburgensis auctoritate legationis sibi creditae a romano pontifice de absolutione ejus praesens dispensaret; pataviensis tamen episcopus venerabilis et vir magnae discretionis, qui tunc sicut fidus mediator inter duo capita orbis dissentientia et ad concordiam revocanda sollicite laborabat, intellecta morte ejus opportunitate accepta de his tractandis nichil intermisit. Licet enim prius pro quietis ecclesiae suae pace et persecutionis avertendae turbatione dissimulaverit memoriam diocesis suae quae vel posita jam vel ponenda sub interdicto erat; omnem interminationem ecclesiasticae communionis, quam pro principe terra meruerat, finaliter amputavit et pacem reformavit. Inter cetera autem, quae jam morte instante inclitus dux Liupoldus de salute sua disposuit, majori filio *) Austriam assiggnavit, alteri vero, qui nondum de expeditione reversus fuit, ducatum Styrensem relinquens, ad coenobium Griseorum monachorum ab avo suo in honore sanctae crucis fundatum, ubi etiam cogitaverat vitam mutare, sepeliri se postulabat, quod et fac-

*) In margine: Friderico.

tum est. Quia vero tam illustris principis obitum narrantes, cujus memoria est saepe recolenda, fecimus digressionem a proposito, ad id redeundum est, unde exorsi sumus, prius tamen de victoria invicti Imperatoris Heinrici non est tacendum, quod sicut dicit quidam sapiens: flebile principium melior fortuna sequetur, strenuus triumphator triste nuncium, quod in Neapolitana obsidione occurrerat, laeto fine commutavit. Capta siquidem Campania, Apulia, Calabria, Sycilia, subjugatis etiam sibi universis tam civitatibus, quam munitionibus, quam etiam omnibus repugnantibus et incolis terrarum, gloriose revertitur. Majores tamen et meliores, ne ullas vires resumere de cetero possent, secum in Teutoniam reduxit, quos etiam sub arta custodia in castro suo munitissimo Trivallis detineri et servari jussit, de quibus aliquorum nomina subjunxi: Archiepiscopus Salernitanus, comes frater suus, Rugerius de tribus bysatiis, Johfridus de Carbonar et alter de Marran, Wilhelmus de Boglyn, Rugerius nobilis, Rubertus de Cathanea, Tangredus de Tarsia, Regina uxor Trancredi, uxor filii Tancredi, filia Ysaachii imperatoris Graecorum, Wilhelmus filius Tancredi, et frater ejus Margarita, comes Avellinus, Rugerius, Petrus filius principis Sorentini, Comes canilianus, Eugenius et alii plures.

Anno domini M. C. LXXXXV. dum omnes principes fatigati laboribus et expensis deficientibus reversi essent ad sua, omnesque etiam pro Christi nomine certantes tam purperes quam divites redissent, et terra domini solo comite Heinrico campaniense remaneret, tutore et de-

sensatore careret adeo, ut etiam ipse retinere eam diffideret et etiam abire cogitaret [15]), excitauit dominus iterum spiritum suum infundens cordibus fidelium suorum Teutonicorum per venerabilem Archiepiscopum Moguntinum Chunradum, qui eos ad subveniendum terrae domini verbo praedicationis incessanter exhortatus est. Ipsum etiam Imperatorem Romanorum et universos principes tam episcopos, quam duces, quam etiam Marchiones, nobiles, barones, omnisque ordinis omnisque conditionis homines in auxilium terrae saepe dictae commonuit et ad caracterem dominicae passionis assumendum indesinenter hortabatur. Quam exhortationem tam avide tamque devote universaliter omnes susceperunt, ut nemo carorum suorum sive possessionum suarum affectu retraheretur. Non pater filii sive uxoris, non dux gloria terrae suae sive marchio sive comes memor, non archiepiscopus, non abbas, non prior, non denique clericus sive laicus delicatus deliciarum suarum memor, ab hac via peregrinationis inhiberi potuit, quin tametsi domi in jejuniis, in vigiliis, in orationibus, in domesticis curis, in pauperibus recipiendis Deo debitum cultum exhibere posset, existimantes tamen, quod non sunt condignae passiones domesticae istis passionibus sacrae viae, sed praeferendae omnibus laboribus Christiani certaminis, omnia impercunctanter reli-

[15]) In margine: Hoc anno et hac occasione Heinricus dux et episcopus Boemiae crucem accepit in curia Imperatoris et in festo S. Nicolai.

querunt. Ubi enim fides sive ab ydolatra sive ab haeretico sive a falso Christiano impugnatur, et ubi a vero Christiano titulus Christianitatis obicitur et verae fidei confessio manu et lingua exhibetur, nichil puto huic articulo Christianae professionis posse comparari. Se etenim et sua relinquentes et Christianum nomen, ubi non licet Christiano jacere, profitentes, cum propheta dicunt: credidi, propter quod locutus sum. Accesserunt indubitanter ad hanc vocationem primum ipsemet Imperator romanus Heinricus, qui etsi iter pro rebellibus, quos adhuc in terris illis noviter adeptis et victis dissimulabat, non minus tamen intus desiderio veniendi ad subveniendum militiae Christi flagrabat. Accesserunt secum Archiepiscopus Moguntinus, Bremensis; Hildishaimensis episcopus, qui tunc etiam cancellarius imperialis aulae exstitit, qui etiam negotia imperii in tota Apulia, Sicilia, Calabria prudenter disponebat. Episcopus etiam Halberstatensis, Verdunensis, Cycensis, Ratisponensis, Pataviensis cum infinito comitatu. Duces etiam et Marchiones et Comites cum tota militia nobilium et ministerialium et privatorum militum, quos educere poterant, spiritu Dei ducti ad hanc vocationem accesserunt. Praeterea dux Brabantinus, dux Saxoniae Heinricus, immo potius palatinus Reni dictus, dux Ausriae Fridericus, dux Meraniae, dux Carinthiae et Lancravius, Marchiones et comites quos longum est enumerare, ad hanc viam festinabant venire. Dux etiam Boemiae Heinricus, qui etiam episcopus ejusdem terrae, crucis signo cum suis pluribus insignitus ad eandem viam se praeparabat et in desiderio erat veniendi, nisi quod

dominus Imperator Romanorum quibusdam intervenientibus et se interponentibus causis de parte Saxoniae detentus fuit. Cum tamen a proposito suo nullatenus recederet, quamvis differret, in eadem dilatione mortuus est, et sic eorum via, qui secum venire disposuerant, intermissa est. Quidam etiam de Ungaria comites et vasalli ire proponebant, quorum aliquos rex ipsorum Bela, utens eorum consilio, eis exceptis qui per mandatum Domini papae acceperant, signo crucis, quod acceperunt, deposito retinuit. Heinricus igitur Imperator communi consilio Principes per mare ire disponens, quia saepe priores eorum per Ungariam, per Graeciam, per Turciam universis locis defecerant, qui prius inde ire attemptaverant, rex videlicet Romanorum Chunradus et Francorum Ludovicus, et novissime Imperator Fridericus cum suis Principibus, commodius et expeditius arbitrabatur, quia terrae illae Apulia, Sicilia, Calabria in jurisdictione tenebantur romoni Imperii, per mare transire. Aliis tamen alia via supra dicta plus ire placuit. Quae dissensio de via habenda inter eos diu duravit, Saxonibus renitentibus sequi Imperatorem. Effecit tamen hic quaedam occasio, quae se interposuit, dum de viae discurrerent processu. Imperator siquidem quia haeredem susceperat de regina, unde ei terrae supra dictae attinebant, cupiens efficere, ut communi assensu omnium Principum imperii imperium ad proximum haeredem, quasi haereditario jure transiret, et ad hoc inducere omnium consensum Principum, ut electioni, quae semper habita et habenda est, de substituenda Romani Principatus dignitate in-

tenderent. Saxones aliis assentientibus contradixerunt, et licet terras noviter adeptas et saepe nominatas imperio addere voluisset, nec tamen perfecit, nec eos ad consentiendum inclinare potuit. Quamvis omnium etiam ecclesiarum juri condescendere laudaverit, ut post mortem praedecessorum successores episcopi in rebus mobilibus, quae ante fisco regio adjudicabantur, in potestatem succedentis sine contradictione venirent, et hoc regio privilegio mandare decreverit et confirmare promiserit, nihil profecit.

Dum haec igitur nullum haberent effectum, Imperator per Ytaliam in Apuliam revertitur, et de disponendo transitu omnium eorum, qui crucem susceperant, et commoditate et mercatu disponere cupiens, officiose satagebat, et sicut princeps, qui pro terra domini recuperanda sollicitus erat, deuote laborabat; adhuc tamen non parva scintilla apud incolas terrae ipsius contra ipsum inflammanda latebat, et non per mortem quorundam, qui incentiva causa erant hujus rebellionis et praesumptionis contra dominum suum, in magnam flammam crevisset. Verum tamen maturius prudens princeps, praesentiens ipsorum sinistrum contra ipsum consilium, in persequendis et disturbandis eorum propositis maturius praevenit, nulli parcens, nullius misertus, omnes indifferenter episcopos, comites, barones interimit. Inter quos comes Richardus acerranus, qui auctor erat et causa praecipua hujus mali et doli contra ipsum habiti, quem ultro ei mirabili casu oblatum suspendi fecit, et in publico transitu civitatis in porta, deorsum misso capite, in furca

levare fecit. Eos etiam quos in Alamanniam secum eduxerat, qui etiam supra nominati sunt, omnes coecari fecit, et quasi reos laesae majestatis et personae laedendae puniri jussit. In quacunque igitur custodia quivis tenebatur, nulli parcebatur; adhuc etiam Catinensium civitas praesumptionis suae cornua contra dominum suum erigens rebellare cogitabat, quam ipse potenter expugnans totam confregit et comites multos cepit, quosdam per mortem, quosdam per duram captivitatem in tantum humilians, ut de cetero nec vires, nec robur habeant rebellandi. Nullum itaque refugium erat incolis illius terrae, nisi solum castellum Johannis, quod inter munitiones illius regionis firmissimum et naturali dispositione munitissimum fuit [16].

Sequitur jam textus Chronici a Gerlaco conscripti.

Anno dominicae incarn. M.C.XCIII. Heinricus Pragensis episcopus, qui priore anno sicut dictum est, cognatis suis Premyzlao et Wadizlao, isti Boemiam et illi Moraviam obtinuerat, pro quibus tali se sponsione obligaverat, ut si tempore statuto pecuniam non solverent, ipse captivitatem Imperatoris intraret et mandatis ejus staret usque ad solutionem debiti. Qua necessitate coactus est, dimidium praeteriti et dimidium praesentis anni, hoc est, fere integrum annum partim in Egra, partim in curia Imperatoris consistere, cum neque Imperator ipsum

16) His verbis finitur historia expeditionis Friderici I. ab Ansberto scripta, quam Chronico suo B. Gerlacus inseruit.

ab hac fidejussione absolveret, neque illi persolverent. Eo ibi degente domi domestici canes sibi oblatrant et ducem Premyzlaum in odium ejus inflammant, ita ut jam non esset sibi tutum Boemiam intrare, sed domi timores vel pugnae, foris curae.

Accidit ea tempestate, ut quidam principes de Saxonia opponerent se Imperatori et quia, sicut dicitur, nullus in regno, sed quilibet in errore consortem sibi quaerit, hoc illi sequentes miserunt ad ducem Premizlaum rogantes, ut idipsum cum eis saperet, quod alico se facturum promisit.

Non latuit hoc episcopum, quod statim ad aures detulit Imperatoris. Cujus ille verbis nimium credulus praefatum ducem P. tanquam laesae majestatis et laedendae personae reum ducatu Boemiae abjudicavit et pro eo episcopum cum vexillis sicut mos est, solempniter investitum in Boemiam remisit, insuper et omne debitum dimisit. Fama hujus facti adventum ejus longe ante praecesserat, cum ecce Boemi nostri Majores natu, ut ipsi oculata fide perspeximus, ducem suum vanis seducebant spebus, jurantes et filios suos dantes obsides, quod eum nullo modo desererent, nulla necessitate dimitterent. Verum ubi nunciatus est adventus episcopi, procedunt quidem cum duce suo facturi fidem verbis suis, sed cum venissent ad locum, (cum episcopus esset na Zdice), in quo [17]) multorum revelandae fuerant cogitationes, illico transfugiunt ad episcopum unus post unum incipientes a senioribus. Et dux quidem P. fu-

[17]) Supra voces multorum revelandae adscriptum est na Beron. Quae parenthesi inclusimus, in margine leguntur.

gae praesidio salvatus est; at episcopus magno praecedentium et comitantium tripudio deductus est Pragam, quam post quatuor mensium obsidionem tandem in quinto recepit, scilicet imminente festo dominicae nativitatis et praesente domino Kain olomucensi episcopo, pro quo hac de causa missum fuerat, ut castrenses vinculo anathematis innodatos absolveret, sicut et fecit. Qui etiam ordinationem fecit clericorum in choro pragensi sabbato IIII. temporum, sed melius fuerat, si non fecisset, quia ecclesiam Christi misit in errorem per sacerdotes et levitas, quos omnes sine impositione manus ordinavit. Super hoc articulo magister Arnoldus legatione fungens praedicti ducis et episcopi consuluit papam felicis memoriae Coelestinum, qui praecepit, sicut ille narravit, ordinatos non reordinari, sed solummodo inter ordinandos stare ad ordinem et solam manus impositionem recipere, quam minus acceperant. Retulit hoc ex ore domini Apostolici et quamvis aucteuticum super his non haberet, nichilominus tamen creditum est ei tanquam honesto viro et fideli nuncio, factumque est ita, sicut dixerat, per manum Domini Engelberti Olomucensis episcopi, qui praedicto Kain in brevi post mortem successerat Quo facto deinde annos tres et semis dominus Petrus diaconus Cardinalis titulo ad sanctam Mariam in via lata, melior de mundo clericus, legatione functus apostolica in Bauvariam, Boemiam et Poloniam, factum hoc vehementer corripuit, et tam ordinatorem gravavit, quam ordinatos suspendit et reordinari fecit. Sed de his hactenus satis.

Caeterum epistolas summi Pontificis prae-

dicto episcopo et duci missas hoc loco insererem, sed ad manus non habeo.

Anno dominicae incarn. M. C. XCIIII. sicut supra tetigimus, Heinricus dux et episcopus abiit cum exercitu in Moraviam et terram illam sive castra terrae suo dominio subjugavit [18]). Dehinc eodem anno cum copiis utriusque terrae profectus est in Zyrbiam jussu Imperatoris Heinrici, qui offensus fuerat Marchioni illius terrae Adlberto, in qua profectione qualia vel quanta facta sint mala, primo in populo christiano, deinde in ecclesiis Christi, postremo etiam in claustris, ad enarrandum manet difficile. Pro quo reatu postea vidimus episcopum compunctum flevisse in synodo et intercessiones omnium assidentium quaesiisse. Reliqua hujus anni require supra.

Anno dominicae incarn. M. C. XCV. H. dux et episcopus crucem accepit et cetera hujus anni. Require supra.

Anno dominicae incarn. M. C. XCVI.

Anno dominicae M. C. XCVII°. sicut supra tetigimus, dominus Petrus diaconus titulo ad sanctam Mariam in via lata venit in Boemiam, et me cum Georgio comite ipsum deducentibus susceptus est Pragae in die Scti Gregorii cum solempni processione ab episcopo et duce iam infirmante et a canonicis Pragensis ecclesiae, ubi deinde diu demoratus sabbato medianae XLae quando canitur: Sitientes, ordines clericorum per manum domini Engelberti Olom. episcopi fieri praecepit, in quibus ipse Cardinalis

---

18) In margine additur: Hic Witcho comes. Hujus mentio facta fuerat a Gerlaco ad annum 1174 et 1179.

a sacerdotibus plebanis ob votum castitatis, quod ab ordinandis exigebatur, versis in seditionem fere fuerat occisus, et licet pro hujusmodi ausibus condigna sint poena coerciti, tamen ex hac occasione ordines fuerunt impediti. Qui postmodum synodum celebrans elegantissimos nobis edidit sermones, et depositis Brevnoense et Procopense abbatibus, consummatisque omnibus, quae officii sui fuerant, profectus est in Poloniam, transactis in Boemia VIII. fere septimanis.

Eodem anno memoratus Heinricus dux et episcopus correptus est languore, quo diu detentus et tandem est mortuus, scilicet XVII Kal. Julii nocte Scti Viti, quae tunc fuit in dominica. Factique sunt omnes dies ejus, quibus Pragensem rexit ecclesiam, sub Friderico duce VII. anni, sub Cunrado duo anni et semis, sub Watzlao tres soli menses, sub Premizlao duce annus et dimidius, quo depulso, sicut dictum est, praesumpsit ipse ducatum pariter cum episcopatu, et regnavit in eo usque ad mortem suam filiciter per annos fere IIII. Summa horum XV. anni et duo menses, videlicet ab eo tempore, quo electus est usque ad diem obitus sui. Causam suscepti ducatus loco suo plenius diximus, hoc modo subjungentes, quod magnum honorem non absque magno animae suae detrimento tenere potuit, quod qui prius didicerat bonus esse bonis, dux factus cogebatur malus esse malis et non tolerare, sed ferire malos. Qui cum adhuc aegrotaret, dux Premyzl ejus comperta infirmitate temptat cum suis irrumpere Pragam, sed conatus ejus fuit inutilis, quia Primates, qui erant cum episcopo, aciem ex ad-

verso direxerunt, et multis hinc inde cadentibus eum et suos in fugam converterunt. Porro episcopus quamvis in morte positus triumphasset, veritus tamen dubios eventus fecit se transferri in Egram, tanquam habiturus ibi meliorem requiem, ubi non post multos dies morbo ingravescente ad extrema pervenit. Factaque confessione cum multis lacrimis sumptisque redemptionis nostrae muneribus, nec non et sacri olei liquore perunctus, multis coram astantibus flentibus et orantibus, dormivit cum patribus suis, sicut supra dictum est, XVII. Kal. Julii. Cujus corpus Doczan est deportatum et juxta matrem suam officiosissime sepultum. Sic cecidit aureus flos Boemiae, munimentum populi, decus cleri, religiosorum virorum propugnator eximius, cui post beatum Adalbertum nullus extitit in ista terra secundus. Cujus anima requiescat in pace. Amen.

Ea tempestate, qua haec gerebantur, erat Pragae in captivitate dominus Wladizlaus, captus ab episcopo in infirmitate sua propter germanum ipsius Primizl. Verum priusquam mortuus est episcopus, Majores natu exemptum de vinculis dominum ac principem terrae constituunt. Non ausi vota sua transferre in fratrem Primizl duabus de causis, quarum prima fuit, quia contra eum pugnaverant; secunda, quia gratiam Imperatoris non habebat. Tali ordine, nec non et tempore, hoc est, in octavis beati Viti dominus Wladizlaus sublimatus in ducem, deinde in Kal. Novembris misit et convocavit clerum et populum Pragam, Abbates et Praepositos et Canonicos omnes jussit adesse, tanquam tractaturus cum eis de pontificali electione. Ita-

que convenimus et invenimus jam sibi persuasum a suis familiaribus, ne talem poneret, qui posset aliquando recalcitrare, quod et factum est. Nam quendam ex capellanis suis nomine Miliconem, cognomento Danielem, nobis eatenus incognitum, designavit in episcopum, negata omni electione clero, quem in odium defuncti episcopi non multum diligebat. Ibi vidimus, unde satis doluimus, quod idem Daniel episcopatu investitus flexo poplite fecit hominium praefato duci Wladizlao, in praejudicium antiquae libertatis et in derogationem privilegiorum imperialium, quae investituram Pragensis et Olomucensis episcoporum ad Imperatorem pertinere, sed et Pragensem episcopum principem fore imperii testantur, quod usque ad istum episcopum antiquitas transmisit, sed in isto deperiit. Sane dominus Daniel adeptus episcopatum multas invenit contradictiones, maxime a quodam Arnoldo praeposito tunc Sacense et canonico Pragense, qui contra eum Romae agens compulit subire peregrina judicia et diversa, primo quidem Magdeburgensis et Salzburgensis archiepiscoporum, illius in Halla, alterius in diversis locis; postea Pataviensis et Ratisponensis episcoporum, similiter et sui Metropolitani Magunciae archiepiscopi, deinde multarum mediocrium personarum, quas brevitatis causa praetereo; postremo coegit eum ire Romam, in quo itinere et in quibus itineribus quantam expenderit pecuniam, pro qua conquirenda quae vel qualia episcopatui fecerit dispendia, manet inexplicabile. Taceo de canonicis Bononiae mortuis, qui ob favorem ejus se ipsos obligarant pro pecunia, quae statim concepit et pe-

perit usuram, lucrum et foenus usque in immensum. Duravit autem haec quassatio fere per quinquennium inter episcopum et memoratum Arnoldum, cui postquam satisfactum est tum de praepositura, tum etiam de rebus ablatis, deinceps ambo confoederati sunt et ecclesia Dei quievit. Reliqua operum ejus et dierum non fuit necesse scribere, tantum parcat ei Deus et requiescat in pace. Amen. Computantur autem ab electione ipsius usque ad diem mortis suae anni sedecim et semis. Sed de his hactenus satis.

Porro, sicut supra dictum est, Wlad. sublevatus in ducem, regnavit ab octavis S. Witi usque ad festum S. Nicolai. Interea mortuo in Apulia Imperatore Heinrico dominus Primizl et sui fautores, videlicet Scirnin et alii multi, ejus morte comperta procedunt versus Pragam armati, parati aut mori aut obtinere panem sibi et domino suo Primizl principatum. Quorum in occursum progressus Wladizlaus dux cum episcopo suo, cum abbatibus et aliis boni consilii viris, licet haberet incomparabilem militiam, cessit tamen hinc propter bonum pacis, inde propter affectum germanitatis, et confoederatus est germano suo sub tali forma compositionis, ut ambo pariter, ille in Moravia, iste in Boemia principarentur, et esset ambobus sicut unus spiritus, ita et unus principatus, quod usque hodie inter illos illibatum manet.

Anno ab incarnatione Domini M.C.XCVIII°. Philippus dux Sueviae frater Imperatoris Henrici defuncti, nec non et Otto filius Henrici ducis quondam Saxoniae, per contentionem sibi usurpant imperium et imponentes sibi singuli coronas, Otto Aquisgrani per Coloniensem,

Philippus Maguntiae per Maguntinum archiepiscopos consecratur, et quilibet eorum adjacentes sibi provincias suae substernunt ditioni; sed Renus eos disterminat. Initia malorum haec, nec potest verbis exponi, quanta ex hoc mala evenerint ecclesiae Dei et omnibus religiosis domibus in imperio constitutis. Nam quotquot ecclesiae habebant possessiones in alterius ditione, toto tempore discidii census earum non ecclesiasticis personis ad utilitatem, sed diripientibus cedebat ad rapinam. Scio ecclesiam quandam in parte Ottonis, habentem vineta et lata praedia in parte Philippi, quam hac occasione constat dampnificatam plus quam ad III. M. Marcarum, quod ideo insero, ut ex unius ecclesiae dampno pensentur aliquomodo cunctarum ecclesiarum dispendia. Sic mortuo Imperatore mortua est simul justitia et pax imperii, cujus mortem secuta est in brevi mors Coelestini papae, cui successit in Romana sede dominus Innocentius, vir sicut juvenis et in utroque jure doctissimus, ita et inmobiliter tenax sui propositi, qui ad cumulum tanti mali offensus Philippo, nescimus quibus de causis, partem tuebatur Ottonis in tantum, ut archiepiscopos, episcopos sibi faventes foveret, et contradicentes deprimeret, quorum plures corruisse ab honore suo et inter duos reges tanquam inter duas sedes medio cecidisse recordamur. Pars tamen Philippi, adversante licet papa, semper melior erat tum in numero et valore provinciarum, tum etiam in robore militum, quorum fultus auxilio saepius transivit Renum, penetravit regnum Ottonis, Coloniam obsedit, Nusiam cepit, castrum firmissimum, quod dicitur Lantscrone, in medio regni

sui aedificavit, solium suum Aquisgrani posuit, cum ille contra eum nec cominus pugnare, nec eminus adversari sufficeret. Duravit autem haec quassatio non parvo tempore, sed fere XI. annis, donec mors Philippi litem diremit, de cujus morte loco suo plenius dicemus. Sane Imperator H. frater Philippi moriens reliquerat filiolum nomine Fridericum, haeredem imperii, quod Philippus patruus ejus non ei servare, sed sibi usurpare intendens mox in ipso exordio discidii pepigit foedus amicitiae cum rege nostro Primizl, tunc duce, nec non et cum Boemis suis, quos evocans de terra sua, cum infinito exercitu transivit Renum, transfretavit et Mosellam, volens Aquisgrani conscendere solium regni, simul et pugnare contra Ottonem, qui regnum invaserat in partibus illis, sicut supra dictum est. Itaque Boemi Teutoniam ingressi mox circa Wirtzburc versi sunt in seditionem, et orta inter eos gravi simultate militares viri fere omnes relictis dominis suis Baronibus abierunt retro et redierunt in Boemiam, unde satis debilitatus est exercitus, nichilominus tamen Barones amissis licet satellitibus suis fideliter perstiterunt cum duce suo. Accessit ibi ad magnam gloriam comiti nostro Georgio, quod pares sui vel etiam majores carebant militibus et ipse ne unum quidem perdidit ex suis. Et venientes Maguntiam, ibi Philippus consecratur in regem Romanorum, simul et ducem nostrum consecratum creat regem Bo... [19])

[19]) Reliqua, quae ternione sequenti qui olim jam deerat, scripta fuere, damno irreparabili amissa sunt.

Indiculus Personarum.

Indiculus populorum, regionum, locorum, fluviorum.

Errores Typi corrigendi.

Pag. 5. lin. a fine 4. pro **Maryato**, lege **Margato**.
— 18. nota 4 post MC insere L.
— 19. lin. 11. ante **associatus** adde **non esset**.
— 56. lin. 3. pro **Leucori** lege **Leucorum**.
— 69. lin. a fine 6. pro **vicuum** lege **victum**.

Cum collatione facta nominum in **bach** desinentium, quae p. 23, 24 e Rayhradensi transumto descripta sunt, observaverim pleraque alibi in Msto desinere in **berch**, ideo in indice iis, in quibus contractio **bch** male lecta fuisse videtur a Pitero, signum (?) apponendum censui.

Litera m numeris subjuncta denotat marginem.




CANCELLED
CANCELLED
CANCELLED
CANCELLED
NOV 22 66
CANCELLED
FEB 2 1984

